THOMAE VALLAVRII

ACROASES IIII.

FACTAE STVDIIS LITTERARVM LATINARVM AVSPICANDIS

IN R. ATHENAEO TAVRINENSI

AB AN. MDCCCLXV. AD AN. MDCCCLXVIII.

Accedunt

I. Th. Vallaurii Animadversiones in Dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtae nominibus.

II. Obiurgatoria Fr. Ritschelii Lucubratiuncula in auctorem Animadversionum.

III. Th. Vallaurii Adnotationes in obiurgatoriam Ritschelii Lucubratiunculam.

IIII. Appendicula aliquot locorum, in quibus Ritschelius in latinitatem insigniter peccavit.

AVGVSTAE TAVRINORVM

EX OFFICINA MARINI ET GANTINI

AN. M. DCCC. LXVIII.

OPERE LATINE ED ITALIANE

DI

TOMMASO VALLAURI

Historia critica litterarum latinarum, accedit πάρεργον aliquot monumentorum latini sermonis vetustioris. *Editio septima.* Augustae Taurinorum ex officina Ascetèrii Salesiani, an. MDCCCLXVIII, in-8° L.	2 00
Orationes habitae in auditorio maximo R. Athenaei Taurinensis. *Editio quarta.* Aug. Taur. ex off. eadem, in-8° . . »	2 00
Inscriptiones. Accedunt epistolae duae de re epigraphica, et Osvaldi Berrinii appendix de stilo inscriptionum, ex Morcello deprompta. *Editio tertia.* Aug. Taur. ex off. ead., in-8° . . . . »	3 50
Epitome historiae graecae, accedit lexicon latino-italicum. *Editio quarta.* Aug. Taur. ex off. ead. . . . . »	1 00
Epitome historiae romanae ab urbe condita ad Odoacrem, accedit lexicon latino-italicum. *Editio altera.* Aug. Taur. ex off. ead. . . . . »	1 50
Epitome historiae patriae, accedit lexicon latino-italicum. *Editio quarta.* Aug. Taur. ex. off. ead . . . . »	0 80

THOMAE VALLAVRII

ACROASES IIII.

FACTAE STVDIIS LITTERARVM LATINARVM AVSPICANDIS

IN R. ATHENAEO TAVRINENSI

AB AN. MDCCCLXV. AD AN. MDCCCLXVIII.

Accedunt

I. Th. Vallaurii Animadversiones in Dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtaę nominibus.

II. Obiurgatoria Fr. Ritschelii Lucubratiuncula in auctorem Animadversionum.

III. Th. Vallaurii Adnotationes in obiurgatoriam Ritschelii Lucubratiunculam.

IIII. Appendicula aliquot locorum, in quibus Ritschelius in latinitatem insigniter peccavit.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA MARINI ET GANTINI
AN. M. DCCC. LXVIII.

THOMAS VALLAVRIVS

MAVRO RICCIO SVO

S. P. D.

Quum abhinc aliquot annos perversae quaedam opiniones de optima studiorum ratione late apud Italos percrebuerint; officii mei duxi grassanti huic pesti pro viribus obviam ire. Nunc vero Acroases, hac de re carptim factas, uno hoc volumine evulgandas curavi. His subtexui Animadversiones meas in dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtae nominibus. Neque candido lectori con-

tumelias invidi, quibus ventosissimus ille Germanorum Bombomachides, pro sua humanitate, me nuper et Kleinium, v. cl. mactare non dubitavit, uti fabulosis Manibus commenticii Titi Macci sui inferias faceret. Hunc autem tibi, Ricci mi, eleganti litterarum latinarum spectatori, levioris operae libellum, amoris in te mei pignus, dedico. Vale.

Scripsi Augustae Taurinorum ipsis Calendis decembribus an. M. DCCC. LXVIII.

DE LIBRIS ANTHOLOGICON

ACROASIS

FACTA IIII. CAL. DECEMBR. AN. M. DCCC. LXV.

Auditores humanissimi,

Artificem olim fuisse memorant sculpendi peritissimum, in cuius disciplinam plurimi iidemque ingeniosissimi adolescentes undique convenirent. Is, nescio quo consilio, alumnos suos in singulis humani corporis membris tamdiu elaborare iubebat, quamdiu unumquodque scitissime fingerent; nunquam vero in universo corpore conformando illos ingenium suum periclitari patiebatur. Quo fiebat, ut postquam complures iam annos in eius disciplina permansissent, domum quisque suam digressi, caput quidem et brachium et manum et pedem et ceteras demum corporis

partes affabre sculperent; at frustra illas ad interiorem artis rationem struere et coagmentare studerent, ut totum inde hominis simulacrum existeret, numeris omnibus absolutum. Quum autem statuarum partes sibi invicem non responderent, haud raro elegans formae spectator, qui illorum officinas inviseret, homuli caput offendebat longurionis collo impositum. Hic longimanum ridebat, aut capitonem, aut ventriosum, absurda crurum gracilitate notandum; illic genuum orbem immodice tumentem, aut grandiores suras carpebat; postremo aptam illam membrorum compositionem ubique desiderabat, ex qua optimus habitus et conveniens corporis figura efflorescit.

Huic artifici, Auditores humanissimi, qui prava institutione tot acrioris ingenii adolescentes transversos ageret, persimiles arbitror aetatis nostrae praeceptores, qui potiusquam integra optimorum scriptorum opera pueris evolvenda proponant ad litteras contendentibus, libros quosdam ἀνθολογικῶν iis obtrudunt, qui sexcentos minutulos locos capiunt, undique decerptos, et nulla prorsus cognatione inter se devinctos. Fit enim saepe, ut locum a Catone aut Varrone depromptum de cibariis boum, de caprino grege constituendo, narratio liviana subsequatur de Lucretia, spectatae

pudicitiae matrona. Eadem saepe voluminis plagula lucretianos versus complectitur de phantasmatis, et virgilianos de Nisi atque Euryali amicitia; pietatis laudes a Tullio celebratas, et Agrippinae caedem a Tacito descriptam; sallustianam narratiunculam de Philaenis fratribus, et syllanas proscriptiones a Velleio Paterculo depictas. Quid quod? Catulliana Ariadne, perfidum Theseum diris devovens, sibi proximam conspicatur ovidianam Thisben a Piramo adamatam; Niobe, raptae prolis angore confecta, Medeam stupet, iuxta se pueros manu sua trucidantem.

En, Auditores, latina ἀνθολόγικα, quae apud nos discipulorum manu in scholis teruntur ordinis secundi. Risum, precor, teneatis, si fieri potest, adolescentes lectissimi, ubi videritis sacra profanis, historica fabulosis, gravia levioribus, seria ludicris perperam consarcinata; antiquissimos optimae notae scriptores, cum malis latinitatis auctoribus permixtos, qui res romanas sequiori aevo prodiderunt; postremo scriptionum frustula, altitudine sententiarum et magnifico ornatu spectanda, scriptiunculis adtexta, humili et plebeio stilo exaratis.

Incredibile memoratu est, quantopere studiosis adolescentibus officiat incomposita haec congeries ex diversissimis scriptoribus

in minutas adeo partes discerptis. Si enim in causas parumper inquiramus, ob quas vetustis litterarum monumentis, iam inde a prima aetatula, pueri excolantur, haec potissimum occurret: adsidua videlicet optimorum scriptorum lectione illorum ingenium maxime ali, animum augeri, ad pulcri sensum fingi, ad praestantissima quaeque formari. Eximio quippe ac plane divino munere factum est, ut plerique scriptores, qui apud Romanos olim provenerunt, altissimo ingenio atque intelligenti iudicio donati, opera exararent, quae naturam magistram imitantur, et maximam tum aequalibus tum posteris admirationem moverunt. Singularis enim ordo in iis elucet, mira perspicuitas, qua omnia veluti apposito lumine illustrantur; apta demum rerum compositio, qua fit ut prima mediis, media imis apprime respondeant et coniurent amice. Iam qui illorum scriptiones diligenter evolvat, nihil temporibus absurdum offendit, aut re aut personis absonum. Morata ubique occurrit oratio, artifex stilus, graves ubique sententiae, splendore illustratae verborum. At nemini profecto tales in scriptoribus virtutes non dicam notare, sed ne coniectura quidem assequi licebit, si parvulas inde disiectasque partes tantummodo delibarit. Et, id quod caput est,

neque rerum nexum perspiciet, neque animo finem assequetur, quem sibi auctor scribendo proposuerat (1). Quapropter adolescentes a singulis partibus, quae sub sensus cadunt, ad ea nunquam adsurgent, quae cogitatione solum et mente complectimur, neque insita ingenii vis apta exercitatione roborabitur. Qua quidem ingenii exercitatione haud scio, Auditores, an maius aliud ac praestabilius ex litterarum studiis peti possit. Ridendus quippe ac plane puerilis labor illorum mihi semper visus est, qui lectissimos scriptores pervolutando, elegantiores tantum voces ac locutiones, posthabito rerum pondere, misere aucupantur.

Quamquam ne hic quidem politioris dictionis fructus percipitur ex libris ἀνθολογικῶν, quos supra memoravi. Qui enim plane hospes in litteris non sit, apprime novit, optimum elocutionis colorem ex longa et diutina praestantissimi cuiusque lectione proficisci; non multa sed multum legendum, eandenque incudem diu noctuque tundendam (2). Cuius quidem rei salubre ac frugiferum documentum dedere illustres olim viri, qui vel decies Thucydidem describerent; Homerum autem vicies, Georgica et Aeneidem nonagies ex integro legerent (3). Hanc scilicet viam in-

gressi excellentis ingenii homines iidemque laboris patientissimi, litterarum principatum sibi delatum viderunt. At contra nostri, voluminum magnitudinem per ignaviam fastidientes, mutilos quosdam et truncos diversorum scriptorum locos studiosissime consectantur. Unde fit, ut in illorum scriptionibus aut omnis plane orationis color desideretur, aut stilus occurrat disparilis, discolor, qui vermiculatum opus imitatur.

Quum igitur neque ad ingenium excolendum, neque ad stilum fingendum conferant libri ἀνθολογικῶν de quibus agimus (4), quaerat fortasse quispiam ex vobis, adolescentes humanissimi, quaenam speciosa nomina ab iis praetexantur, qui huiusmodi minutalia gymnasiis nostris coquunt, ac volentibus, nolentibus ingerunt. Quod ut expediam, res paullo altius est repetenda. Quum iam inde a seculo sextodecimo, post renatas litteras, opiniones quaedam extitissent, quae veterem christianam doctrinam perverterent, viri singulari quadam pietate insignes, quorum intererat, patrum religionem incolumem servari, sibi falso in animum induxerunt, pestem illam a latinis praesertim scriptoribus manare, qui in puerili institutione usurparentur. Quum autem huic malo acerrime occurrendum esse existimarent, quasi agmine

facto, in receptam studiorum rationem invehi coeperunt, utpote quae animos puerorum pravis persuasionibus imbueret, a christiana sapientia abhorrentibus, atque intoleranda licentia illorum mores inficeret. Quorsum, aiebant, quorsum pertinent Plauti fabulae adolescentulis enarratae, nisi ut foedos atque inhonestos sales arripiant, quos vel ipsi veteres improbarent? Ecquis lucretiani poëmatis lectionem suadeat, quod Deorum providentiam atque animorum immortalitatem refutando, potiusquam legentium mentem extollat, humi defigere consuevit? Quid dicendum de Tibulli et Propertii operibus, quorum pleraque in amoribus versantur? Quid de Ovidio, qui se turpis cupidinis magistrum profiteri non dubitavit? Sed ne ad Livium quidem et Tacitum adeundum esse existimabant, quorum alter immanem imperiosi populi ferociam laudat, alter degeneres Romuli nepotes graphice depingit, apud quos luxu et libidinibus corruptos nihil sancti, nihil inviolati uspiam occurreret. Postremo a tulliana ipsa philosophia studiosos procul habendos esse contendebant, propterea quod illorum animos ad scepticorum placita, vel non sentientes inclinaret. Quum tamen ex puerorum manibus latinos scriptores penitus excutere non auderent, quorum vo-

lumina reveriti sunt vel ipsi Tridentini Patres (5), veteris disciplinae restitutores; absurdam quandam viam ingressi, ex aureis illis operibus minutatim concisis, fartum, pene dixerim, fecerunt, quod nomine ἀνθολογικῶν falso fuit donatum. Hinc, Auditores, hinc prima litterarum latinarum labes. Hinc primum latini scriptores in calumniam inciderunt; quae ad aetatem nostram sic redundavit, ut nonnulli de antiqua Romanorum sapientia ex italicis gymnasiis expungenda nuperrime cogitarent.

Qua in re non equidem illorum sententiae repugno, qui puerorum animos castioribus tantummodo sententiis et vocibus inbuendos esse arbitrantur; at idem contendo, longe alia via ad id grassari oportere. Ecquis enim ignorat, viros gravissimos, sanctissimos, et de politioribus litteris optime meritos, conceptissimis verbis praecepisse, ut foedis dumtaxat partibus mutili ad discentium manus veniant classici Romanorum scriptores? Iuvat, Auditores, paucula quaedam in medium adferre, quae hac de re scripsit vir apud Gallos ingenio et sapientia olim clarissimus. Iacobus Bossuetus is est, qui in epistola quadam ad Innocentium XI, Pontificem Maximum, de institutione sibi delegata Regis Gallorum

destinati: optimum factum, ait, non existimavi, doctrinae meae alumnum animum adpellere ad frustula quaedam ex diversis passim latinis operibus discerpta; sed integrum quemque scriptorem uno tenore atque uno veluti spiritu ab ipso legendum curavi. Quod quidem eo praesertim spectabat, ut sensim sine sensu adsuesceret non res singulas seorsum considerare, sed primo statim adspectu praecipuum totius operis finem animo assequi, atque omnium partium nexum sollertissime introspicere (6). Sed quid praeterita conquirimus, quum exemplis uti liceat praesentibus ac vivis? En vobis, Auditores, amplissimum virum, qui abhinc aliquot annos rei universae litterariae apud Gallos publice moderaretur. Quum hic optimam studiorum rationem invexisset, ablegatis libris omnibus ἀνθολογικῶν a scholis ordinis secundi, ad integros scriptorum fontes studiosos reduxit. Utinam vero, hac etiam in re, ad Galliam respicerent Itali, qui a finitima hac gente (recte an secus dicere non ausim) omnia civilis prudentiae documenta iamdiu petere consueverunt! Utinam Bossueti exemplum nostri sequerentur, quibus cura erudiendae iuventutis est demandata; neque sordidis hominibus morem gererent, qui honestam communis utilitatis causam pri-

vato quaestui praetendere non dubitant! Et sordidos quidem appello quosdam aetatis nostrae ardeliones, qui ad marsupium unice spectantes, opuscula quaedam condunt in usum scholarum, in quibus nescias, utrum negligentiam magis an ignorantiam reprehendas. Quorum omnium sordidissimi sunt, mea quidem sententia, fabricatores ἀνθολογικῶν. Hi nimirum sine ingenio, sine litteris, quum ad aliquod nomen nequeant adsurgere, tamquam sedentarii sutores, scriptorum frustula frustulis usque consuunt, quae lucri cupidine, per fas, per nefas, in scholas invehere conantur (7).

Iam pudet, Auditores, ad huiusmodi sordes descendere; et honestissimus hic locus, et iucundissimus ipse ac frequens vestrum conspectus me a tanta humilitate iam prohibere videntur. Sed antequam dicendi finem facio, me ad Summum italicorum studiorum Antistitem converto. Quem, si hic adesset, libere, uti meus est mos, in hunc modum alloquerer. Plurima sunt, vir spectatissime, quae in scholis ordinis secundi sapienter emendasti. Sed ne in medio itinere haereas etiam atque etiam vehementer rogo. Multa enim adhuc restant, quae apud nos rem litterariam perditum eunt, postquam impotens vecordia nostrorum animos cepit omnia promiscue novandi. Multa sunt

emendanda in studiorum ratione (8), qua pueri ad plura interdum, quam par sit, distracti, rerum pondere obruuntur; quae cursim traditae, oscitanter auditae, neque serio unquam perceptae, non doctos, non sapientes, sed arrogantes et gloriosos facere consueverunt. Multa emendanda in praeceptoribus, quorum pars, nulla ferme doctrina exornati, vel astu, vel potentiorum gratia docendi munus arripuerunt. Multa demum emendanda in libellorum colluvie, quae in scholas pervasit, iis suffragantibus, aut certe non repugnantibus, quos oporteret a tanta foeditate penitus abstinere. Hosce libellos qui conscribillant, mercatores doctrinae, venditores dignitatis suae merito appellaveris. Quemadmodum vero Christus olim dicitur, arrepto flagello, mercatores e templo Hierosolymorum indignanter eiecisse; sic te deceret, vir amplissime, Divini Magistri vestigiis ingressum ex musarum delubris magnam hanc et litteris perniciosam sentinam exhaurire. Non hoc in ultimis laudum tibi fuerit, hac contagione scholas Italorum liberasse, quae, quasi pestilentia, ante hos paucos annos invasit.

Sed de his hactenus, Auditores. Ne autem quod in aliis carpimus, in idem peccatum incidere videamur, nos labente hoc anno

scholastico, poëmatis de Raptu Proserpinae a Claudiano exarati, partes omnes, quae supersunt, si tempus suppetat, enucleabimus. In quo interpretando una et acerrimum poëtae ingenium laudabimus, et senescentes apud Romanos litteras ex vitiis deprehendemus, quae egregias huiusce scriptionis virtutes comitantur. Hic vero supervacaneum duco, Auditores, a vobis petere, ut patientes aures velitis acroasibus meis accommodare. Diuturna enim experientia iam doctus sum, non minus attente hic vocem meam excipi solere, quam libenter ipse apud vos, humanissimi atque experrecti ingenii adolescentes, de latinis litteris verba facere consuevi.

ADNOTATIONES.

(1) Depone istam spem, posse te s u m m a t i m degustare ingenia summorum virorum: T o t a t i b i i n s p i c i e n d a s u n t, t o t a t r a c t a n d a. Res geritur, et per lineamenta sua ingenii opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruina potest. Nec recuso, quominus singula membra, dummodo in ipso homine consideres. Non est formosa, cuius crus laudatur aut brachium; sed illa, cuius universa facies admirationem partibus singulis abstulit. L. A. SENECA, *Epist.* XXXIII, 4.

(2) Optimus quisque.... legendus est.... diligenter ac pene ad scribendi sollicitudinem; n e c p e r p a r t e s m o d o scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus. M. F. QVINTIL., *De Inst. Orat.*, X, 1, 20.)

(3) Cf. C. Boucheroni de Thoma Valperga Calusio. Edit. princ., pag. CXIIII.

(4) Omnium ἀνθολογικῶν deterrima ea dicere non dubitaverim, quae ex operibus christianorum scriptorum sunt excerpta.

(5) V. Regulam VII. Indicis sacros. Syn. Trid. iussu edit.

(6) Nous n'avons pas jugé à propos de lui faire lire les ouvrages de ces auteurs (Térenoe, Virgile, César, Salluste, etc.) par parcelles, c'est-à-dire de prendre un livre de l'Enéide par exemple, ou de César séparé des autres. Nous lui avons fait lire chaque ouvrage entier de suite et comme tont d'une haleine, afin qu'il s'accoutumât peu à peu non à considérer chaque chose en particulier, mais à découvrir tont d'une vue le but principal d'un ouvrage, et l'enchainement de toutes les parties...... *Lettre de Bossuet à Innocent* XI *sur l'éducation du Dauphin.*

(7) Qunm ante hosce tres annos, stndiorum gratia, universa ferme Italia peragrata, essem Neapoli, memini, me quodam die, animi causa, tabernam librariam ingredi, qnae erat in vico toletano. Ibi ego bibliopolam de libris scholasticis percnnctatus sum, qnos, Augnstae Taurinornm editos, claris litteris ante tabernam proscriptos videram; et multis verbis ultro citroqne habitis, tot tamqne turpia andivi, quae a nostratibns quibusdam admittnntur, qno facilius libellos snos extrndant, ut, civium meornm causa, multo pndore snffusns, indignanter me ex taberna proriperem.

(8) Inter cetera, quae absurdam apud nos studiornm rationem faciunt, unnm iuvat hic tangere, quod abhinc aliqnot annos, aliis risnm, aliis indignationem movere consnevit. Nimirum quum stndiosi, in lyceis nostris, triennium operam dent historiae litterarum latinarum; in hac tradenda aequnm esset, doctores tempora sic digerere, ut priore anno ad litterarnm latinarum incunabula adsnrgerent; altero, notata illarum progressione, auream aetatem expenderent, quae inter Syllam et Angnstnm intercessit; tertio in argenteam, quam

vocant, et in subsequentem aetatem inquirerent, qua Romanorum litterae ad occasum vergere visae sunt. E contrario praeceptores nostri iubentur singulis annis ab ipsa latini sermonis origine acroases suas auspicari, atque alumnos per omnes rerum mutationes ad Odoacrem usque deducere; hac videlicet lege, ut anno primo litterarum latinarum vices in universum persequantur; anno secundo agant de poëtis, tertio de solutae orationis scriptoribus. Quo facto, plurima per triennium necessario sunt repetenda; hinc vero illa oritur satietas ac perturbatio, quae magistros a docendi cura, discipulos a studio mirum in modum abducit. Itaque ut perridicula haec studiorum ratio a lyceis nostris tandem removeatur non solum vehementer petimus, sed iure quodam nostro postulamus.

DE ENCYCLOPAEDIA

ACROASIS

FACTA III. CAL. DECEMBRES AN. M. DCCC. LXVI.

Auditores humanissimi,

Soleo quotannis acroases meas auspicari ab aliqua disputatiuncula, quae quidpiam conferat ad rectam studiorum rationem provehendam. Qua quidem in re haud raro fit, ut a iudiciis nostrorum hominum dissentiam, qui abhinc aliquot annos de studiis bonarum artium pro arbitratu decernere consueverunt. Id enim mihi alte persuasum est, praecipuum scriptoris et praeceptoris officium esse non iam servire temporibus, et publice receptis opinionibus velificari, sed aequales deerrantes ad rectam viam redigere; non sermonem ad aliorum sensum et voluntatem commutare, sed omnia

loqui ad veritatem. Quamquam vero molesta interdum veritas contingit; proprium est tamen viri masculi, gravis et constantis, animi sinceritate quam obsequio ad audientium persuasionem grassari. Quod quidem ubique et semper faciendum existimo; sed praesertim quum apud adolescentes oratio habeatur, qui tam miti sunt ingenio; eaque commendantur humanitate, ut ab homine se moneri moleste non ferant, quem si minus alia re, at aetate et benevolentia tamquam alterum parentem intuentur. Quum igitur ineunte anno scholastico superiore acerrime sim invectus in Libros ἀνθολογικῶν, a quibus, optimorum studiorum causa, omnino esset abstinendum (1); haud dissimile argumentum hodie pertractandum aggredior, Auditores humanissimi, breviter confirmaturus, non posse hominem ex illo eruditionis ambitu, quem ἐγκυκλοπαιδείαν Graeci vocant, penitus doctum existere; ac propterea studiosos decere, impotentem illam cupiditatem moderari ex omni doctrinarum fonte promiscue hauriendi, siquid praeclarum velint in litteris aliquando praestare.

Si vires humani ingenii paulisper modo perpendamus, illud confestim occurret, Adolescentes lectissimi, mortalium animos hac lege non fuisse creatos, ut ad omnia

ficti esse videantur. Certos quosdam fines terminosque hominum ingeniis natura constituit, quos nullo pacto liceat excedere. Quin etiam ita est comparata omnium hominum natura, ut unum quidpiam sit, ad quod singuli maxime ferantur. Unde iam illud manat, necessarium prorsus esse, ex Quintiliani sententia (2), proprietates ingeniorum dispicere, animosque in id potissimum quo tendant, adiuvare. Ita enim cuiusque natura magis evalescit, eiusque vires eo interdum procedunt, ut divinum quidpiam inde soleat existere, quod aequales invidia, posteri admiratione prosequantur. Neque alio fonte, Auditores, illa doctrinae miracula apud veteres fluxisse arbitremini, quae hodieque suspicimus. Benigna profecto atque eximia natura praeclaris illis viris contigerat, qui rerum divinarum et humanarum sapientia, qui litteris, qui armis, qui rerum publicarum procuratione maximam sibi nominis existimationem pepererunt. At recta studiorum ratione propria naturae bona fovisse; in illud potissimum toto pectore incubuisse, ad quod ficti a Deo viderentur; postremo in iis quae essent aggressi, invicta constantia tamdiu perstitisse, quoad summa quaeque essent assecuti; haec, inquam, omnino fecere, ut ceteris longe altius evo-

larent. Qua de re praecipuis laudibus a Tullio (3) feruntur graeci homines, qui etiamsi ingenio, doctrina, otio studioque abundarent; partitionem quamdam artium fecere, neque ad plura se distrahi passi sunt. Ad se autem quod attinet, queritur romanus orator, quod forensium rerum labor, ambitionis occupatio, et turbulentissimae tempestates in diversa ipsum deduxerint; atque ad Volumnium amicum scribens (4) honestum etiam otium exoptat, ut se totum in litteris abdat. Adeo summis illis veteribus erat persuasum, ingenii vires multarum rerum consectatione fatigari et prorsus imminui! Neque id de veteribus tantum licet praedicare. Quotnam accepimus, paullo superiore memoria, ex ista rerum discendarum infinitate se ita in arctum coniecisse, ut in uno aut altero argumento vitam insumerent! Quod, ne Subalpinorum fines excedamus, de Victorio Alferio et Carolo Botta praesertim iuvat affirmare. Hi enim quas partes ab initio susceperant, easdem mordicus ita tenuerunt, ut alter italicae Melpomenes vindex, alter italicorum historicorum aetatis nostrae facile princeps habeatur.

Si qui e contrario huiusce curriculi securi, quod natura mortalium ingeniis circumscripsit, desultorie ex arte in artem

transire, et res inter se diversas tractare non dubitent, hos medio in cursu viribus exhaustos penitus languere et torpere videmus. Neque id solum in litteris contingit, atque in disciplinis, quae in maxima saepe rerum obscuritate versantur, sed in artibus etiam, quae singulari quadam amoenitate et iucunditate homines ad se allicere consueverunt. Musicum vobis ante oculos iam proponite, Auditores, qui et assa voce et ad symphoniam canere, et fidibus ludere, et tibias inflare, et buccinare tuba, et lituo strepere studeat; item artificem, qui aqua vel oleo dilutis coloribus depingere, cera inurere, udo colores illinere, iconica, gryllos, amoenioris picturae argutias exprimere, regionum varietates, capto locorum prospectu, penicillo distinguere, postremo musivum ac textile opus facere laboret; tum musicus, tum pictor, quem modo memoravi, haec omnia mediocriter, nihil tamen egregie praeter cetera tenebit.

Ne autem me in hac sententia nimium fortasse mihi placere, aut verba vobis dare arbitremini, exemplis rem confirmare aggredior, non ex ultima antiquitate aut externis gentibus, sed ex subalpina recentioris aevi historia petitis, quaeque aut patres nostri aut ipsi nuper vidimus. Pluries equidem fando vobis est auditus Thomas

ille Valperga Calusius (5), Victorio Alferio amicitia coniunctissimus, cuique Carolus Boucheronus, magister meus, se doctrina excolendum dederat. Erant in Calusio (utar hic verbis, quae de L. Torquato habet Tullius (6) in Bruto) plurimae litterae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae; divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. Atque haec omnia vitae decorabat dignitas et integritas. Sed quum multivolum ingenium sistere nequiret, atque huc illuc praepotenti quadam voluptate raperetur, veteribus et recentioribus linguis impense studuit, criticam, philologiam, poësin, philosophiam pariter excoluit; penitiorem praeterea mathesin atque astronomiam tractavit, diversas calculi rationes expendit, analysin, quam vocant, ad physicas quaestiones traduxit; ut nulla ferme sit disciplina, cuius ille partem non delibarit (7). Quod sane lamentandum, Auditores. Namque si, quo erat Calusius acumine, in paucioribus permansisset (8), aliquid maius fuisset praestiturus, atque illustriorem profecto sui famam reliquisset. Qui nunc e contrario viris quidem eruditissimis adnumeratur, optime de litteris et de civitate meritis; at longe infra illos substitisse dicendus est, qui in una aut altera disciplina fa-

cile principes praedicantur. Huius lucubrationes, oscitantium fortasse sodalium auribus olim exceptae, in pulverulentis quibusdam voluminibus nunc delitescunt.

Calusio parem magis quam similem aetas haec nostra Vincentium Giobertium tulit; quem quidem sic miror, ut eius opera legenti aliquis mihi ex veteribus ante oculos obversari videatur, qui maximis ingeniis praediti, summa doctrina expoliti, sensa mentis vel recondita et abstrusa compto, significanti ac nitido sermone explicare consueverunt. At quanto satius, Auditores, nomini suo consuluisset ingeniosissimus hic et doctissimus Subalpinorum temporis nostri, nisi extra philosophiae cancellos fuisset egressus, quos ab initio sibi ipse circumdederat! nisi civilibus fluctibus se commisisset, qui in ipsum postea redundarunt! nisi insano partium studio abreptus ea tractare esset aggressus, quae concitatis quondam civium animis arriderent, at nunc sapientissimo et gravissimo cuique improbantur! Equidem, Adolescentes lectissimi, quoties aream Carinianeam praetergrediens, clarissimi civis nostri statuam intueor, haec me toties cura remordet, talis ac tanti viri ingenium, in diversa distractum, illa aetate decessisse, quum nondum vires in egregio aliquo opere expromserat, quo et posteri-

tati serviret, ac mansuram Italiae famam conciliaret.

Hic vero, Auditores, nolim quempiam fortasse ex vobis existimare, haec a me in eam sententiam disputari, ut optimae spei adolescentes in quasdam studiorum angustias detrudam, quibus aditus ad omnem excellentiam intercludatur. Quin immo adolescentibus nostris maxime auctor sum, ut severioribus et gravioribus studiis animum adiungant; ut ingenuis et humanis artibus se penitus immergant, quae sororio quodam vinculo continentur. Hinc enim mirus ille doctrinarum quasi concentus existit, quem in Platone, in Aristotele, in Theophrasto apud veteres; in Sarpio, in Verulamio, in Cartesio apud recentiores miramur. Ecquis enim iure philologum arguat, qui ad complures easdemque finitimas linguas mentem appellat; qui historiam pariter et geographiam et archaeologiam pertractet, seque philosophiae et civili prudentiae det excolendum? Rursus quis mathematicum reprehendat, qui chemiam, qui opticen, qui astrologiam, aliasque rerum naturalium disciplinas velit adire! Nemo sane ista studia improbaverit, quae amice coniurant, quae intima quadam cognatione tenentur. Ad illos spectat oratio mea, qui levioris tantum eruditionis appetentes, et vere graeculi (9),

ad innumera et plane inter se diversa animum convertunt; quumque tota complecti nequeant, haec divulsa et quasi discerpta sic contrectant, ut in omni re tirones ac rudes, nullum doctrinae genus habeant plane cognitum et perspectum. Hanc quidem mutilam, decurtatam atque hiantem, pene dixerim, doctrinam (quae quanto latius patet, tanto infirmius fundamentum et minus altas habet radices), afferre praesertim hominibus consueverunt volumina, quae specioso *encyclopaediae* nomine passim feruntur. Hinc nimirum mancam illam et quodammodo inchoatam rerum cognitionem hauriunt ardeliones nostri, qui vafritiem pro ingenio, arrogantiam pro sapientia ostentant; qui inaniis oppleti, honoribus onerati, magnifici atque erecti per ora civium incedunt, de nobis veluti triumphum ducentes, qui aetatem gravioribus studiis intentam agitamus. Neque alium plane fructum ex voluminibus illis peti posse, quae modo memoravi, cuilibet facile patebit consideranti, opera illa, quae ἐγκύκλιον doctrinarum omnium complectuntur, hac nostra praesertim aetate ab hominibus plerumque conscribillari, mercede conductis, quos recte cum Tullio (10) operarios appellaveris manu celeri atque exercitata. Siquidem scriptiones suas non ex cogni-

tionum thesauro depromunt, quas animo penitus imbiberint; sed parabilem ac repentinam eruditionem ex obvio quolibet libro describunt. Quum autem complura saepe volumina in arctum sint colligenda, quae obiter et passim evolvuntur, tumultuarium inde opus necessario existit, in quo alia brevius, strictius et perfunctorie disputantur, alia fusius quam par esset. Ibi haud raro inania redundant, res cognitione dignissimae desiderantur; et doctissimus quisque acrem curam, diligentiam, ordinem, perspicuitatem, aptamque rerum compositionem requirit (11). Quae quidem vitia si in huiusmodi libris notantur, in quibus condendis multi collatis viribus elaborant; quid dicendum si unus, idemque ne mediocriter quidem eruditus operi se se accingat (12)! Incredibile memoratu est, Auditores, quam multa leviter, inconsiderate, negligenter in hosce libros congerantur; quot absurda in iis passim occurrant, quot involuta, incondita, a fide, ab historica veritate abhorrentia! Pudet memorare, Auditores, locorum et personarum nomina corrupta, tempora perturbata, prava de graecis, de latinis scriptoribus iudicia, quos indocti isti voluminum sutores, nisi fando, nunquam cognovere; plane ut ea legentes, in orbem imaginarium quasi delati videamur.

Neque rei exaggerandae causa haec a me finguntur, Auditores; quum exemplis uti liceat, si maxime velim, praesentibus et vivis. Sunt in oculis nostris haec librorum portenta. Evulgantur in hac ipsa urbe (13), quae tales olim praestigias aversata, gravioribus doctrinis et artibus dedita ferebatur. Et quo acrior animo nostro dolor inureretur, teterrima haec labes sacras etiam disciplinas nuper invasit. Sacerdotes et ephebi in spem religionis adolescentes, non ex integris fontibus *Sanctorum Patrum*, quos vocant, germanam sapientiam hauriunt. Seculi ingenio indulgentes, ponderosa Hieronymi, Augustini, Tertulliani volumina exhorrescunt; et breviorem et compendiariam viam ingressi, ad libros adeunt, qui gravissima et difficillima quaeque ad christianam doctrinam pertinentia, incredibili levitate, ne dicam arrogantia, expediunt (14). Dolendum id quidem, homines quos et severiore disciplina fingi, et laborum perfunctione exemplo ceteris praeire deceret, non abundantissimos scientiarum amnes, sed tenues quosdam rivulos consectari! Utinam vero praepositi alumnis sacri ordinis regundis ingruentem pestem a nobis avertant, quae infandam religioni perniciem minitatur! Si enim exigui multarum doctrinarum haustus homines faciunt impudentes,

arrogantes, in verba proiectos, quid fiet ubi haec vitia animos illorum inficiant, quos oporteret in omni vita pudore et modestia ceteris praelucere?

Iam quispiam fortasse ex vobis cur, inquiet, tanta verborum asperitate libros carpis, quibus ab encyclio doctrinarum nomen est factum? Nonne puerilis institutio, quae hodie apud quasdam gentes invaluit, in tanta disciplinarum varietate versatur, ut adolescentes ad innumera distracti haud aliter ferme afficiantur, ac si dedita opera animum ad encyclopaediam adverterent? Quorsum demum spectant delibata, iam inde a scholis primordiorum, historia naturae, mathesis, physica, geographia, historia civilis et litteraria, grammatica graeci, latini, itali, gallicique sermonis; quibus accedunt musica, pictura, gymnicae et militares exercitationes, aliaque complura, in quibus elaborare permagnum esset vel confirmatis aetatibus? Fateor equidem, Auditores humanissimi, quasdam scholas, abhinc aliquot annos, ea studiorum ratione esse vitiatas, quae ἐγκυκλοπαιδείαν planissime redolet. Iamque millies (15) memini haec portentosissimae disciplinae commenta me acerbius insectari, quae studiosorum ingenia detinet atque obruit. Huius nimirum multifariae disciplinae propugnatores gloriosam illam

sophistarum nationem mihi referre videntur, qui Graecorum litteras et mores pariter labefactarunt. Optandum autem foret, alter Socrates subito existeret, atque acerrimum hisce nebulonibus bellum indiceret, qui, haud aliter ac veteres illi sophistae, arrogantibus sane verbis, omnia docere se profitentur, quae ad humanum ingenium excolendum pertinent! Vix credibile dictu, quot quantaque damna ex hoc quasi reviviscentium sophistarum instituto in alumnos redundent, qui in illorum disciplinam mittuntur. Namque praeterquamquod solidae germanaeque doctrinae prorsus expertes ex huiusmodi ludis adolescentes dimittuntur, insolens quoddam severioris disciplinae fastidium, tantaque ipsius inertiae dulcedo illorum animos subit, ut gravioribus curis impares, socordia et desidia consenescant. Huc nimirum evadet impotens illa libido nova quotidie moliendi, et discentes ad plura, quam par sit, distrahendi, tum prava studiorum ratione, tum vero libris propositis, quos ab universae doctrinae ambitu nominamus. Progeniem dabimus (utinam falsa vaticinatus ferar) effetam, inertem, arrogantem, gloriosam, quae huic seculo ad occasum vergenti notam turpitudinis inuret.

Cupio, Auditores, non obtundere vos hac

oratione quae nihil ferme sentiens ad querimonias declinavit. Ut autem iis, quae hactenus dicta sunt, maius ex sapientissimi hominis auctoritate pondus accedat, atque vobis persuasissimum sit, nimia studiorum diversitate mortalium animum non colorari sed infici, ne gravemini, Auditores, in ipso orationis exitu, mentes vestras advertere ad L. Annaeum Senecam, quem si minus verborum elegantia atque ornatu, at gravitate, acumine et veritate sententiarum primas tulisse inter doctissimos Romanorum dicere non dubitaverim. Hic igitur ad Lucilium suum scribens: « illud, aiebat, « vide, ne ista lectio auctorum multorum, « et omnis generis voluminum habeat ali« quid vagum et instabile. Certis ingeniis « immorari et innutriri oportet, si velis « aliquid trahere, quod in animo fideliter « sedeat. Nusquam est qui ubique est. « Vitam in peregrinatione exigentibus hoc « evenit, ut multa hospitia habeant, nullas « amicitias. Idem accidat necesse est his, « qui nullius se ingenio familiariter ap« plicant, sed omnia cursim et properanter « transmittunt. Distringit librorum multi« tudo..... Fastidientis stomachi est multa « degustare; quae, ubi varia sunt et diversa, « inquinant, non alunt. Probatos itaque « semper lege: et si quando ad alios diverti

« libuerit, ad priores redi..... (16) Lectio « certa prodest, varia delectat. Qui quo « destinavit pervenire vult, unam sequatur « viam, non per multas vagetur: non ire « istud, sed errare est (17). »

Haec quidem Senecae praecepta velim animis vestris tam penitus insidere, Adolescentes lectissimi, ut nunquam excidant. Hoc documentum vestrae erga me voluntatis etiam atque etiam vehementer peto, ut, quum corpore a vobis abero, neque vestras mihi aures iam dabitis, vobiscum ipsi identidem reputetis, hoc a me saepius fuisse inculcatum: DOCTRINAE PRINCIPATUM IIS TANTUMMODO DEFERRI, QUI MULTUM, NON MULTA LEGERINT.

ADNOTATIONES.

(1) Vide sis: Thomae Vallaurii *De Libris Anthologicon* Acroasis facta studiis auspicandis Literarum Latinarum in R. Athenaeo Taurinensi IIII. Cal. decembr. An. M. DCCC. LXV, Aug. Taurinorum, ex officina Asceterii Salesiani, An. M. DCCC. LXV. in-8°.

(2) De Institutione Oratoria, II, 8, 6.

(3) De Oratore, I, 6.

(4) Epist. ad familiares VII, 3.

(5) Decessit Calusius Augustae Taurinorum, non. April. An. M. DCCC. XV.

(6) Cap. LXXVI.

(7) Calusii opera pleraque extant in Actis Taurinensis Societatis scientiarum finibus proferendis.

(8) Cf. Caroli Boucheroni de *Thoma Valperga Calusio*. Aug. Taurinorum excud. Chirio et Mina, An. M. DCCC. XXXIII, pag. CLXXVIII.

(9) Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes
Augur, schoenobates, medicus, magus; omnia novit
Graeculus esuriens: in coelum iusseris, ibit

D. I. Iuvenal. Sat. III, 76 et seqq.

(10) De Orat. I, 18.

(11) « L'homme de monde, qui ne peut ni ne veut « rien approfondir, pourrait consulter l'*Encyclopédie* « sur toute espèce de sujets. Quant au savant, ou à « l'homme spécial, il y trouverait aussi ce qui lui est « nécessaire dans tous les genres, *excepté dans celui*, « *dont il a fait son affaire personnelle*, et pour lequel

« il n'a pas besoin de recourir à un dictionnaire.....
« *La science proprement dite* ne profite guère de ces « travaux. » — LES ENCYCLOPÉDISTES, *leurs travaux, leurs doctrines et leur influence* par PASCAL DUPRAT. Paris, Pourpart, Devyl et Comp. 1866 (pag. 105 et 8).

(12) « Le cadre est trop vaste pour un seul esprit; « un grand nombre y suffit à peine. Il faut une légion « d'écrivains pour faire une *Encyclopédie.* » DUPRAT, pag. 9.

(13) In librorum numerum, qui studiis Italorum maxime officiunt, opus referre non dubitamus, quod inscribitur: NUOVA ENCICLOPEDIA POPOLARE ITALIANA, ovvero *Dizionario generale di scienze, lettere, arti*, ecc. *Opera compilata sulle migliori in tal genere, inglesi, tedesche e francesi, coll'assistenza e col consiglio di scienziati e letterati italiani.* Torino, dalla Unione Tipografico-Editrice, 1856 e seg., in-4°.

(14) Huiusmodi libris improbatae lectionis adnumerandum sane opus, cui titulus: ENCICLOPEDIA DELL'ECCLESIASTICO *compilata dall'abbate Vincenzo d'Avino.* Torino, Pietro di Giacinto Marietti, 1864 e seg., in-4°. Quoniam vero *D'Avinus* e vivis nuper excessit, quin ultimam operi manum imponeret, optandum foret, nequis ex nostratibus defuncti neapolitani scriptoris muneri vicarius succederet. Qui aliter faciat, hunc studiis nostris male consulere pronuntiamus.

(15) Vide in hanc rem Thomae Vallaurii Orationem *De Vitiis in puerili institutione vitandis*, iam septies evulgatam atque italice redditam; praeterea *praefationes* complures ad latinos scriptores passim editos; postremo *Novelle*, etc., etc.

(16) Epist. II, 1.

(17) Epist. XLV, 1.

DE ELENCHIS

RERVM IN SCHOLIS TRADENDARVM

ACROASIS

FACTA IIII. CAL. DECEMBRES AN. M. DCCC. LXVII.

Auditores humanissimi,

Equidem nescio, Auditores, quonam fato fieri dicam, ut quae res prima fronte mortalium commodis consulere et servire videntur, maximum iis detrimentum et perniciem saepenumero importent. Unde iam illud manat, haud ita facile nova molientibus esse acquiescendum, neque nova de maximis rebus consilia esse arripienda, nisi prius eventu fuerint comprobata. Praestat enim optima in aliud tempus differri, quam praepropera festinatione in deterius forte bona mutari. Itaque iam metuo, Auditores,

quo res tandem nostrae sint evasurae, quum immoderatam libidinem reputo omnia penitus novandi, quae pertinent ad receptam publice studiorum rationem. Nimirum iamdiu hic mos invaluit, ut altero aut tertio quoque anno, novis legibus dictis de puerili institutione, veteres abrogentur; ut in scholis ordinis secundi adolescentes nostri modo a classicorum scriptorum voluminibus avocati, ad res mathematicas et physicas detrudantur: modo latinis litteris tantummodo delibatis, toti sint in graecis excolendis; hisce vero mox praetermissis, eodem regrediantur, a quo paullo ante fuerant abstracti; plane ut nullo certo rerum modo servato, omnia in scholis passim mutari ac misceri videamus. Quid dicam de athenaeis, ubi modo auctis, modo imminutis magisteriis, altiores disciplinae per vices iactatae, vel in altum provehuntur, vel in tenebras depressae ferme conticescunt? Iamdiu est cum in hoc pistrino vivimus: a quo optandum, ut tandem aliquando eripiamur. Ad me quod attinet, Auditores humanissimi, solemni hoc die ad meum munus pensumque me revoco, unum aliquid notandi ex iis, quae optimae adolescentum nostrorum institutioni haud parum officere arbitror. Sunt nimirum qui studiis nostris egregie consultum credant, si ἐλέγχους quosdam

digerant, quibus res in scholis tradendae singillatim et minutius adeo praestituuntur, ut ab iis, ne latum quidem unguem, liceat doctoribus recedere. Longe alia mihi mens est, Auditores; vosque facile mihi assensuros confido, postquam confirmavero, huiusmodi elenchis, quasi totidem impedimentis, ingenia obrui et detineri, propterea quod docentium inertiae suffragentur, discentium socordiam et ignorantiam foveant, postremo planiorem viam ardelionibus sternant, qui ineptissimos quosdam libellos in usum scholarum evulgando, quaestui servire unice consueverunt.

Constat inter omnes, qui sollerter et diligentissime de erudiendis iuvenibus praeceperunt, neminem posse docentis officio strenue perfungi, nisi diutino et perpetuo studio ingenium subigat, neque in illam unam doctrinae partem elaboret, quam se instillare auditoribus profitetur; sed omnia quae sunt eius operis teneat, etiam siqua discentibus non sint tradenda. In doctore enim opus est ex interiore, perfecta et plena rerum cognitione redundet atque efflorescat dicendi copia. Praeceptori, cui sit haec ampla supellex, complura sponte et ex reposito veluti thesauro se se docenti offerent; et vel subitae illius dictiones ordine, perspicuitate, aptaque rerum compo-

sitione commendantur. At undenam, quaeso, Auditores, illam hauriet praeceptor alacritatem, quae laboris molestiam devoret, inertem animum impellat, afflictum erigat, languentem reficiat? Nimirum vel praemia illustrioribus proposita, vel gloriae aculei, vel demum necessitas ingeniis iniuncta, nova quotidie perdiscendi, maximum sunt docentibus studiorum incitamentum. De praemiis dicere supervacaneum plane arbitror. Non sunt huius temporis. Gloriae morsibus perpauci, iidemque nobiliores animi afficiuntur, quos Deus ex hominum grege sapienter exemit. Restat necessitas, quam Summus studiorum Curator praeceptoribus prudenter imponat, nunquam partis acquiescendi, ut ad claram doctorum hominum famam progrediendo perveniant. Sed de hac necessitate iam actum est, Auditores, ubi res in schola tradendae certis quibusdam cancellis circumscribuntur, extra quos nunquam egredi doctores teneantur. Natura humani ingenii fit, ut otio indulgentes in ipsa ignavia capiant voluptatem, atque in angusto quodam doctrinae ambitu libentissime conquiescant. Recte igitur elenchos illos rerum tradendarum vincula dixeris, quibus constricti docentes in turpi inertia consenescunt. Postquam vero inertiam docentium aliquandiu passus eris, et

consuetudo animis illorum callum obduxerit, frustra lentos castiges atque incites; mos in naturam vertit; ingenii igniculi sic restinguuntur, ut in rebus vel levissimis nunquam illius lumen appareat. Nil mirum igitur, si iuvenes, qui ex elegantiori nostra disciplina haud poenitendos fructus perceperant, nobisque spem afferebant, fore ut vetus Italiae decus in litteris aliquando tuerentur, postquam aliquot annos sisyphio huic labori adsueverunt, idem perpetuo saxum volutandi, molesti operis pertaesi, aliunde quam ex libris solatium animis petant. Utar hic, Auditores, libertate, quam diuturnus mihi rerum usus, adtribuit; idque tandem pectore expromam, quod iamdiu me sollicitat angitque vehementer. Sunt in gymnasiis nostris, sunt in lyceis plurimi doctores, qui nulla commentatione atque meditatione parati, quotidie ad instituendos adolescentulos sic accedunt, ut inordinata, indistincta, inania et nihil profutura ex tempore effutiant. Iidem vix cum e schola, tamquam ex ergastulo evolarunt, ab omni cura et labore vacui, libere expatiari atque ad omnem animi remissionem ludumque descendere consueverunt; plane ut instar miraculi sit, siquem ex illis domi offendas aut librorum lectioni, aut lucubratiuncu-

lae intentum. Si forte cessantes, genioque suo indulgentes amice ad laborem horteris, dum viget aetas, dum animus valet; quid nobis erit boni, confestim respondent, si nos totos in litteras abdamus, si aetatis florem patiamur magna animi contentione flaccescere? Iam satis superque studiis dedimus, quando eandem semper incudem tundere iubemur; quin ulla spes nobis tandem eluceat vincula revellendi, quibus in schola coërcemur. Huc nimirum, Auditores humanissimi, huc demum recidunt infelicissimi illi rerum tradendarum elenchi, veluti iugum, docentium cervicibus impositi! Neque haec a me rei amplificandae causa in medium adferuntur. Quin et mihi vel citra veritatem dicenti omnes plane assensuros spero, qui iuxta mecum sciant, quam perfunctorie officii sui partes impleant magna doctorum pars, ad sterilis atque invisae disciplinae taedium damnati.

At dicet aliquis. Ecquid tandem vetat, quominus praeceptor, postquam iniunctum sibi munus impigre obierit, ad alia transgrediatur, quae rei novitate audientium animos teneant, et docentem ipsum recreent atque ad acrius studium impellant? Plurima sunt, Auditores, quae huic rei moram atque impedimentum adferant. Sed unum ex omnibus maxime commemorabo, quo,

veluti compede, velint nolint, detinentur doctores. Lege nimirum cautum est, ut adolescentes, qui disciplinae causa in lycea et gymnasia nostra conveniunt, exeunte anno, illius tantum doctrinae specimen dent, quae elenchis continetur, quos supra memoravimus: si ab hisce forte discesseris, ne verbum quidem respondere teneantur. Hic fingite iam vobis animo praeceptorem, qui alacrior quam ceteri, ad ea tractanda progrediatur, quae non est iussus. Discipulos animadvertet suos aliud agentes, oscitantes, mussitantes, postremo refractarios et contumaces. Quam quidem discentium contumaciam mirum in modum fovebit mos nuperrime invectus, ut studiosi non apud magistros suos ingenii vires et partam sibi doctrinam periclitentur, sed apud certos quosdam viros ad id delectos, qui non spectatores, non testes fuerunt diligentiae aut negligentiae illorum, de quibus iudicium sunt facturi.

Iamque a doctoribus, nihil ferme sentiens ad discipulos declinavit oratio mea, de quibus me altero loco dicturum statueram. Hic vero testes idoneos et amplissimos appello non vos tantum, qui adolescentulis erudiendis operam impenditis, sed omnes, quotquot ubique estis, patresfamilias, quibus liberorum ingenium et mores perspecti

esse consueverunt. Quot sunt, quaeso, pueri, quos ad eas res perdiscendas liceat impellere, quarum nullum specimen sint aliquando daturi? Elenchos rerum, quas memoriae mandare iubentur, mordicus tenent improbuli nostri. Ad hos, tamquam polypi ad scopulum, firmissime adhaerescunt, neque ullis conditionibus eos inde revellas. Hosce elenchos ob oculos habent dictante magistro, ab his non discedunt, cum dictata decantant domi; ad hos respiciunt, quum partes dicunt in schola; horum carmen, vel inter ludendum, memorant; postremo elenchi iis sunt veluti tabula, quam arripientes, se e quolibet naufragio enataturos sperant. Neque id mirum. Quotum enim quemque puerorum nostrorum invenias, qui doctrinae studiis unice captus ad placitae disciplinae magistrum se conferat? Alii in auditoria ventitant a parentibus coacti, paedagogo usque ad gymnasii limina comitante. Alios trahunt condiscipulorum illecebrae, quasi ad pilam, ad talos, aut ad alium quemlibet ludum itantes. Plerique huc tantummodo spectant, ut exacto quoque anno, e schola in scholam, veluti decurso stadio, progrediantur. Hoc autem se certo consecuturos confidunt, si modo res in elenchis propositas vel leviter attigerint. Quae quum ita sint, vix credibile memo-

ratu est, quo tandem evadat lasciviens ista puerorum turba. Quid nostra, inquiunt, quid refert, iam inde ab ineunte anno scholastico illis operam dare, quae sat erit sub anni exitum didicisse? Post aliquot menses, quae animo vel diligenter imbiberis, memoria excident; rursusque, iterata lectione, opus erit eadem illa pervolutare, in quibus antea elaboraveris. Nonne igitur satius, genio, quoad licet, indulgere, quam nos ipsos labente anno, tamquam in pistrinum aliquod compingere, ubi eadem usque retractemus? Quemadmodum vero adolescentulis, nisi in litteris vivant, alia necessario sunt quaeritanda, in quae omnes curas et cogitationes conferant; iam facile nobis licet assequi coniectura, quo tandem nostri se convertant, ubi a gravioribus studiis recesserint. Omnis generis lusionibus, vel laboriosis delectati, in iis toti sunt; non hortationibus, non obiurgationibus inde illos deterreas. Neque erit cur mireris, si puerum videas gymnasticas exercitationes vel cum dolore, scholasticae quieti praeoptantem. Puerorum animi sibi relicti, motus vel incompositos, clamores, cursum, turbam, ludicra certamina poscunt. Fateor equidem, Auditores, haec omnia conferre ad corporis firmitatem et robur. Neque huiusmodi exercitationibus omnino repugnaverim, qui

non tam doctus, quam expertus sciam, vegetum ingenium in valido pectore ut plurimum vigere, animumque integris corporis sensibus quodammodo virere. Sed modum tamen hac in re servandum censeo, ne nimia corporis cura mentem obruamus; quando non athletis solum, aut operariis, aut militibus, sed doctis quoque et sapientibus viris indiget res publica, qui non palaestra, sed umbratili exercitatione parantur.

Quamquam video, nobis adhuc esse cur laetemur, si pueri nostri per infelicissimos illos elenchos a scholis abalienati, in illa potissimum incumbant, quae hactenus memoravimus. Multo sane deteriora sunt, ad quae pueri adeant, quos elenchis rerum discendarum unice intentos severior studiorum disciplina non constringat. Pudet, Auditores, ea referre, quae saepe a parentibus aut magistris audivi, qui iuxta mecum rationem studiorum, abhinc aliquot annos invectam, lamentabantur. Adolescentuli imberbes, quos deceret adsidua optimorum scriptorum lectione mentem formare, iudicium acuere, animum augere, frivolis quibusdam milesiarum fabularum narrationibus dies fallunt, turpissimas historias evolvunt peccare docentes, obscenis imaginibus intempestivas cupiditates fovent,

postremo pravis opinionibus imbuti, malis moribus depravati, ingenii vires a natura datas frangunt, atque effetum corpus tradunt confirmatae aetati, a qua optimorum fructuum proventum expectare licuisset. Hinc, Auditores, hinc acerrimi dolores manant, quos plurimi patres perferunt; haec sunt, quae lacrymis saepe matres conficiunt; hoc fonte praesertim derivantur familiarum acerbitates, luctus, eversiones.

Neque vereor, ne cui forte verbis rem exaggerare et tragoedias, uti aiunt, in nugis agere videar. Quotquot enim persuasum habent, ingenerari hominibus mores non tam ab ipsa natura, quam a disciplina cui a pueris adsueverint, in sententiam meam facile ituros confido. Equidem, quamdiu vita suppeditabit, omnes homines quibus puerilis institutionis cura est demandata, etiam atque etiam vehementer hortabor, ut gravioribus studiis adolescentulorum animos detineant, neque per desidiam illos torpere patiantur. Desidiae autem et languoris causam pueris adferre certos illos rerum in scholis tradendarum elenchos multis iisdemque validissimis argumentis videor confirmasse.

Utinam vero docentium inertiae et discipulorum inscitiae tantummodo faveret infelicissima haec studiorum ratio, quam

hactenus sum insectatus! Utinam hisce finibus ac terminis mali labes se contineret! At longe latius manat, quam hominum vulgus opinetur. Ex huiusmodi elenchis, veluti ex impurissimo fonte, redundavit inepta quaedam sciolorum cohors, quibus summa boni est ingentem pecuniam in loculos demittere. Homines isti cupidissimi, ore hiante, pene dixerim, in elenchos involant publica auctoritate decretos, arripiunt, oculis devorant; iamque manum calamo admoventes, festinanter, incuriose librum conscribillant, qui parabilem scholis nostris facilemque doctrinam proponat. Iam ipsi coniectura perspicitis, Auditores humanissimi, quot virtutibus niteant, et quantum commodi adolescentulis nostris afferant huiusce generis libelli, quos minuti et angusti homines, in quaestum proiecti, veluti ex tempore fundunt. Frustra hic ordinem, perspicuitatem, aptam verborum proprietatem, postremo commodam brevitatem quaeras. Sed quid ago, Auditores? Iam toto caelo errare me sentio, quum brevitatem ab hisce scriptionibus abesse conqueror. Quin huc potissimum spectare mihi videntur scholasticorum libellorum conditores, ut quam brevissime rem expediant. Iamque eo ventum est, ut maximam virtutem in maxima brevitate positam ar-

bitrentur, qua et discentium inertiae suffragari et marsupio suo prospicere consueverunt. Quum enim non unus aut alter, sed multi ad inhonestum hunc quaestum certatim se conferant, iam alius alium occupare, et libellum minoris quam ceteri vendere studet, quo facilius mercem extrudat. Quo factum est, ut nonnulli, potiusquam librum, breviarium scribant, in quo res per summa tantum capita delibantur. Quemadmodum vero, nullum avaritia patitur modum; ita vix credibile dictu est, quot quantaque moliantur sordidi illi nostri, ut socios et consortes laboris sui antecapiant. Mira fortasse commemorabo, quaeque humanam fidem videntur excedere. In medium tamen proferam, tum quod iuratissimos auctores habeam, tum vero quod rei publicae maxime intersit meritam turpitudinis notam iis inurere, qui cogitationes suas in res tam humiles abiiciunt.

Constat inter omnes, elenchos rerum in scholis tradendarum, antequam arte guttembergia evulgati in docentium et discipulorum manus veniant, secreto adservari a certis quibusdam hominibus, qui sunt ab actis Summi studiorum Antistitis. Iam vero ardeliones illi nostri, qui toti sunt in condendis libellis, quos studiosis obtrudant,

quasi canes venatici odorantur omnia et pervestigant, usque donec latibulum detexerint, ubi exoptata praeda delitescit. Quam vixdum aucupati, hoc sagacitatis atque alacritatis suae praemium ferunt, ut, ubi primum elenchi ex officina libraria prodibunt, postero die mane, ante tabernas bibliopolarum iam claris litteris proscribatur subitarium opusculum *ad elenchorum normam exactum*. Vos ridetis, adolescentes lectissimi, istorum hominum vafritiam ac sordes, qui impudenter impudentes in album litteratorum se referri etiam postulant. Riderem et ipse, Auditores, nisi rei foedissimae per se, adiectam indignitatem viderem; tales videlicet nebulones, claris haud raro honoribus commendatos, et civium observantiae propositos.

Verum haec lucri scâbies, qua homunciones nostri tentantur, eo interdum pervenit, ut longius iam progredi non posse videatur. Nimirum ex illis, quibus cura elenchos digerendi fuit publice demandata, fuere nonnulli tam malo ingenio pravoque, ut nulla commodi aut damni habita ratione, quod in studia nostra esset redundaturum, de industria absurdum ac praeposterum rerum ordinem sequi non dubitarent. Quo facto huc omnino spectabant, ut quos libros ante illud tempus alii stu-

diosis proposuissent, ex discentium manibus excuterent, utpote a novis elenchis abhorrentes, ad quorum praescriptum omnia essent in scholis tradenda. Nec defuere, quibus pudor non fuit pro elenchis scholasticis indices libellorum proponere, quos ipsi multo ante exarassent, ut horum necessitatem adolescentibus nostris, volentibus, nolentibus imponerent. Hic vero, Auditores, si esset gravitatis meae, si per loci auctoritatem liceret, vos ad hilaritatem sane traducerem, astutiam, dolos, machinamenta, labores vobis memorando, quibus ardeliones nostri nituntur, ut libellos suos distrahant. Iuvabit tamen illos spectare, huc illuc cursitantes, festinantes, ut opellae suae exemplaria, arido modo pumice expolita, dono deferant Curatoribus studiorum, eorumque patrocinio se committant. Operae pretium est illos videre, dum supplices manus tendunt ad scriptores ephemeridum, et laudes efflagitant, quibus gratiam apud credulam turbam consequantur. Reos diceres, iudicis misericordiam blandissima oratione, demisso vultu aucupantes. Nec temere, Auditores, hoc mihi verbum ex ore excidit. Iure optimo reos appello impudentiae, quod illa aggrediantur ad quae natura non sunt comparati, nec diligens adhibita est praeparatio; reos ambitus, quo

ad omnem humilitatem se prosternunt; r e o s avaritiae, qua, rebus suis, potiusquam studiorum commodo prospiciunt: r e o s demum pessimi exempli, quo abhinc aliquot annos liberalis adolescentum institutio in disciplinam sordidi quaestus abire visa est.

Quae quum ita sint, Auditores, hoc tandem elenchis rerum in scholis tradendarum acceptum referimus, ut docentium pariter ac discentium commodis officiant, et gymnasia nostra iam pro tabernis vulgo habeantur. Neque tamen velim, sublatis elenchis, de quibus hactenus dictum est, magistros in scholis lege omni solutos ad arbitrium docere. Optimum factum arbitror, certam quamdam studiorum rationem proponi. Sed liceat prudentissimo cuique a communi praescripto pro opportunitate recedere. Absint praesertim minutissima illa, quibus, quasi vinculis, doctoris libertas, indignum, constricta tenetur. Libertatem conclamat populus in foro; libertatem sibi vindicant populares oratores in legibus ferendis; libertatem sibi quisque petunt cives; libertatem litterati homines in scriptionibus suis evulgandis; libertatem mercatores in commerciis: libertatem et ipsi postulamus in docendo. Ecquid enim tandem causae erit, quamobrem doctores in magisterio suo, aequo iure cum reliquis civibus non

habeantur? Equidem persuasum habeo, Auditores, abrogatis elenchis rerum in scholis tradendarum, omnino futurum, ut liberaliores disciplinae magis evalescant, et doctores ex mortiferis, pene dixerim, servitutis tenebris in vitalem libertatis lucem sibi tandem emergere videantur.

DE DISCIPLINA
LITTERARVM LATINARVM
AD GERMANORVM RATIONEM EXACTA

ACROASIS

FACTA VI. CAL. DECEMBR. AN. M. DCCC. LXVIII.

MONITVM

Lectores praemonuisse sufficiat, me, dum in Germanos invehor, tum in *Oratione* insequenti, tum in *Adnotationibus*, quibus Ritschelianae atque Hertzianae contumeliae refutantur, tum vero in *Appendicula*, in qua Ritschelium arguo de prava scribendi ratione, non de Germanis in universum loqui, quorum plerosque mirifice observo et colo, sed de audacioribus quibusdam, qui sine modo modestiaque Italos insectantur, aut in litterarum latinarum disciplina rebus novis potius quam veritati studere consueverunt.

DE DISCIPLINA

LITTERARVM LATINARVM

AD GERMANORVM RATIONEM EXACTA

ACROASIS

FACTA VI. CAL. DECEMBR. AN. M. DCCC. LXVIII.

Auditores humanissimi,

Fuit tempus, nostra etiam memoria, quo Itali, praesertim vero Subalpini, vatiniano odio in ea ferebantur, quae a germanico fonte profluxissent. Neque solum rerum publicarum formam, leges, instituta, aliaque id genus iure optimo aversabamur, quae libertatis minuendae causa in Italiam Germani intulissent; at illa ipsa, quae ad artes, ad commercia, ad vitae commoda provehenda prudenter excogitassent, nos nescio quid mali in omnibus suspicati, quae Germaniam redolerent, fastidiose ac

funditus repudiare solebamus. Iamque eo ventum erat, ut vel in re litteraria, quidpiam a Germanis profectum esse negaremus, quod Italorum ingeniis salubre ac frugiferum videretur. Qua quidem in re, etsi inique agi cum nobilissima gente videbam, quae maximis laboribus praeclarum in litteris nomen est assecuta; aequo tamen animo patiebar, quod spes me tenebat, fore ut cives mei peregrinitatem perosi, rebus suis impensius studerent, neque a maiorum institutis recederent. Id enim alte mihi est persuasum, Auditores, inter locorum naturas plurimum interesse; suum unicuique populo ingenium, suos et peculiares mores ita esse a natura ingeneratos, ut, nisi magno incommodo et detrimento, ad aliarum gentium consuetudinem non deducatur. Eadem plane ratione, qua herbas saepe atque arbores, ex suo in alienum solum translatas, aegre convalescere, minus laetas provenire, tandem vero tabere et radicitus exarescere videmus. At verbis dici non potest, quanta de spe abhinc aliquot annos deciderim! Namque ut absurdum morem praetermittam, qui ex germanicis scholis iamdiu ad nos venit, in plura eademque diversa studiosos distrahendi, nunquam desinam lamentari nuperam quandam Italorum libidinem, qui student litte-

rarum latinarum disciplinam ad Germanorum rationem exigere. Ut autem pateat, in promptuque sit omnibus, inconsultam hanc studiorum rationem iure meritoque a me improbari, optimum factum arbitror, nonnulla praefari de Germanis, qui hac nostra tempestate, aut paullo superiore memoria, animum suum ad latinas litteras appulerunt.

Iam primum omnium, Auditores humanissimi, magnas gratias agendas, maximas semper habendas existimo doctissimis Germanis, quorum opera et industria latinorum scriptorum codices, manu exarati, in omnibus ferme bibliothecis diligentissime fuerunt perquisiti, excussi, pertentati, atque improbo sane labore alii aliis collati, ut menda tollerentur, quae in illos aut iniuria temporis, aut librariorum ignorantia irrepsissent. Libens profiteor, optime de latinis litteris meritos esse praestantissimos Germanos, qui totum ferme aut grande vitae spatium in uno aut altero scriptore expurgando insumere non dubitarunt. Addo etiam, Auditores, omnino esse cur Italos pudeat, propterea quod Germani, omnia sagacissime odorati et pervestigantes, magnos saepe doctrinae thesauros excuderint, qui in tabulariis nostris penitus abstrusi atque ignorati laterent; plane ut multa

praeter omnium expectationem, et divina quasi virgula extiterint, quae ad historiam vetustioris aevi illustrandam, aut ad interiores et reconditas litteras pertinerent. Nec meritas praesertim Theodoro Mommsenio et Friderico Ritschelio laudes invidebo, quorum alter plurimos litteratos lapides, memoria nostra, in lucem evocavit, qui passim apud Italos in tenebris delitescerent aut segnius negligerentur; praeterea subalpinis archaeologis praeivit in adulterinis quibusdam titulis repudiandis, quos aut Iosephus Meyranesius, aut alii ex nostratibus ad libidinem confinxissent (1). Alter vero epigraphica priscae latinitatis monumenta evulgando, multa sollerter emendat, in quibus superiores archaeologi, aut per inscitiam rerum et temporum, aut per incuriam peccarunt. Si autem de re grammatica sermo sit, vivet per omnem memoriam eruditissimorum Germanorum nomen, qui singulari acumine, atque incredibili patientia in nativam cuiusque vocis indolem inquirendo, facilem tutissimamque studiosis viam muniverunt, qua penitiorem latini sermonis cognitionem assequerentur. In hoc sane excellentium grammaticorum numero semper feretur et praedicabitur Ferdinandus ille Handius, qui de natura et usu particularum linguae latinae eas edidit commentatio-

nes (2), Godofredo Hermanno, magistro suo inscriptas, quibus nihil aut accuratius aut doctius iam concinnari posse videtur.

Verum, Auditores, dum meritis laudibus Germanorum labores prosequor, qui ad litterarum latinarum studia complenda excolendaque plurimum contulerunt; nequeo mihi temperare, quin vehementer in illos invehar, quum omni mente in ea cura et cogitatione versari videntur, ut inveteratas quasdam de latinis litteris opiniones, quae in doctorum animis penitus insederunt atque omnium sermone iam percrebuerunt, audacter convellant, novas inserant, quae nullo veritatis nixae fundamento, ex inani gloriolae captandae studio, veluti ex impuro fonte fluxerunt. Huiusmodi Germanos, rerum novarum satores, prae ceteris sensit Marcus ille Tullius Cicero, qui merito dictus est philosophiam a Graecis ad Romanos transtulisse, quique omnem Graecorum copiam atque elegantiam in operibus suis expressit. Iam inde ab antiquissimis temporibus, quotquot fuerunt acerrimi iudicii viri et sincerae eloquentiae studiosi, summis semper laudibus egregias orationes extulere, quas ille habuit ad Patres, ad populum, aut de rebus publicis, aut ad civium innocentiam a falsis criminationibus vindicandam, aut demum ne

multa nefariorum civium impunita essent facinora. Sed ecce, patrum nostrorum memoria, ipso anno primo felicissimi huius seculi, qua videlicet tempestate finitimi nostri trans alpes nova omnia molirentur, ecce inquam Fridericum Augustum Wolfium, litteratorem magni nominis apud Germanos, clamare (3), quatuor ex orationibus (4) quae Tullii nomine ferebantur, Cicerone indignas esse, atque ab alio quopiam, ostentandi ingenii causa, fuisse conscriptas. Quam quidem opinionem animo suo imbiberat noster, auctoritate potissimum permotus Ieremiae Marklandi, viri apud Britannos sagacissimi, qui ante annos ferme quinquaginta, illarum orationum αὐθεντίαν in dubitationem primus adduxerat. Ut autem est Germanorum ingenium ad res novandas maxime proclive; ita Wolfius (5) pro Marklandiana sententia acerrime digladiatus, sex potissimum argumentis (6) nititur confirmare, quatuor illas orationes ex numero operum Tullianorum esse expungendas. Sed tanta lux est veritatis, ut nullis hominum ingeniis queat obscurari! Haud ita multo post Middletonus, Ruhnkenius, Wyttembachius, Gesnerus captiosas Wolfii argumentationes dissolventes, exagitatas falso orationes Tullio, auctori suo adseruerunt.

Mirum profecto vobis continget, Auditores humanissimi, ambitiosum Wolfii ingenium eo esse progressum, ut illas scriptiones abiudicaret atque eiiceret, quas viri doctissimi lectitare, et studiosis ad imitandum semper proponere consueverunt. At quanto magis mirabimini, ubi audiveritis, Mommsenium illum, quem modo laudibus ornavi, in historia romana, a se nuperrime evulgata, Ciceronem nostrum, ineptum quemdam causidicum (7) dicere non dubitasse, quem insanabile scribendi cacoëthes teneret! Pro pudor! Amplum illum et grandem et elegantem principem oratorum romanorum, qui senatum, qui populum in sui admirationem converteret, quique a Catullo est dictus optimus omnium patronus, tamquam inanem locutorem traduci, et cum plebeio quodam rabula comparari! Si absurda atque indigna haec probra in Tullium iactasset aliquis ex gregariis Italiae nostrae doctoribus, qui lucelli causa subitarias litterarum latinarum historias conscribillant, quin ullum fortasse ex romanis scriptoribus a capite ad calcem perlegerint, tacitus facile pertulissem, Auditores humanissimi. Ecquis enim ad ineptissimos huiusmodi homines animum advertat? Sed quisnam Mommsenium ferat talia effutien-

tem? Ergone Tusculanae disputationes, ergone libri Academicorum, libri de finibus bonorum et malorum, de legibus, de officiis, de republica, in quibus miram doctrinae varietatem cum summa copia et elegantia Tullius coniunxit, inanem actorem causarum et garrulum cavillatorem arguunt? Ergone posthac, te, Mommseni, hortatore et magistro, Itali contemnent ac pro nugis ducent Verrinas, Catilinarias, Philippicas, ceterasque orationes, quibus Tullius Romae tonare dictus est, idque apud posteros est consecutus, ut nomen suum iam non hominis, sed eloquentiae habeatur? Ergone, te suasore, Quintilianum ridebimus, qui studiosos adolescentes monebat, ut scirent, se valde profecisse, si Cicero ipsis valde placeret?

Equidem, ut aperte dicam quod sentio, indignor, adolescentes lectissimi, perversum hoc Mommsenii de Cicerone nostro iudicium; indignor, quum memoria repeto, Niebuhrum, alium ex Germanis eruditissimum, superioribus annis livianum opus ad arbitrium diffinxisse; perinde ac si patavinus scriptor milesiam fabulam, non historiam ex incorruptis rerum gestarum monumentis concinnasset; indignor, quum Livium videam Lachmanni ingenio et doctrina (8) ante hos

annos quadraginta ab inusta mendacii aut levitatis nota vindicatum, ab eodem Mommsenio rursus peti, contendente, primordia urbis Romae ex commerciis potius quam ex re bellica fluxisse (9). Quae quidem Mommsenia romanae historiae adulteratio ex eodem illo fonte manavit, quem vernacule dicimus *razionalismo germanico*, *filosofico e letterario*, quique tot absurda atque a veritate abhorrentia in religiosas et philosophicas doctrinas nuper invexit. Indignor, quum Mommsenium, germanum hominem, audio, Italos per summum dedecus vituperantem, et poëticam praesertim facultatem, omnemque interioris artis rationem nostratibus invidentem (10). Sed prae ceteris, quae modo memoravi, indignor, Auditores humanissimi, Friderici Ritschelii pervicaciam, qui posthabita Varronis, Festi, Frontonis, C. Plinii Secundi et A. Gellii auctoritate, manibus pedibusque obnixe omnia facit, ut novum Sarsinati poëtae praenomen et nomen procudat, sitque *Titus Maccius Plautus* auctor fabularum, quas viri omnes doctissimi usque ad memoriam nostram Marco Accio Plauto tribuendas esse concordes censuerunt (11).

Hic vero, quoniam Ritscheliani huiusce commenti mentio est iniecta, patiamini, quaeso, Auditores, me arrepta occasione,

in hoc argumento paullisper immorari, quod nos a proposito non abducit. Meministis profecto, me anno superiore Animadversiones quasdam evulgare in dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtae nominibus. Ibi germanum hunc philologum maximis laudibus cumulavi, quod corruptos quosdam locos plautinos passim emendasset; sed aperte sum professus, me ab illo dissentire, quum nova Sarsinati poëtae nomina affingere molitur; meamque sententiam, qua par est urbanitate et modestia confirmare sum conatus. Equidem sperabam, fore, ut Ritschelius argumentis meis assentiret; sin minus ea pensitaret, comiterque, ut inter litteratos homines decet, refelleret. Sed mirum, Auditores, quantum mea me fefellerit opinio. In quodam volumine, quod labente hoc anno Lipsiae edidit (12), Ritschelius quaestionem repetit de Plauti nominibus. Ne unum quidem ex allatis a me argumentis dissolvere aggreditur; sed agresti quadam asperitate, et impotenti, pene dixerim, rabie in me et J. L. Kleinium, virum doctissimum, invehitur, tamque foedis nos proscindit contumeliis, ut perpauci sane viri eruditi, post hominum memoriam, tantum acerbitatis virus

in adversarios suos evomuerint. Non est consilium meum, Auditores, contentiones instaurare, quae seculo quintodecimo fuerunt Angelo Politiano cum Bartholomaeo Scala, cum Georgio Merula nostro, cum Domitio Calderinio (13), aut quas seculo insequenti habuit Hannibal Carus cum Ludovico Castelvetro (14). Puderet, in hac tanta aetatis nostrae humanitate, tam immitis ingenii documentum dare; praesertim quum praeclarum illud Plutarchi (15) nunquam ex animo exciderit: οὐδὲν... αἴσχιόν ἐστι βλασφημίας παλινδρομούσης, οὐδὲ λυπηρότερον. Quapropter hanc unam ab adversario meo ultionem exigere constitui. Cum hac videlicet oratiuncula in vulgus iterum emittam Animadversiones meas in Ritschelii disputationem. His vero probra omnia fideliter subiungam, quibus ille me et Kleinium vehementius est insectatus. Ex huiusmodi probris atque ex refutatione mea patebit, opinor, quantam urbanitatem ex politiorum litterarum studiis expresserit Ritschelius, quibusque armis εἴδωλον illud suum tueatur, cui Tito Maccio nomen fecit. Postremo hisce omnibus πάρεργον accedet nonnullorum locorum, in quibus Ritschelius in latinitatem insigniter peccavit. Sed de his hactenus.

Nunc, omissis iam ceteris, quae a nobis possent proferri ad insanam hanc Germanorum libidinem exagitandam multa novandi, quae pertinent ad litteras latinas, venio, Auditores, ad pravum quemdam morem, qui hac nostra tempestate aliquot Germanos incessit, quique facit, ut in edendis romanis scriptoribus longe alio spectare videantur, atque res ipsa potissimum postulat. Sumite, quaeso, Auditores humanissimi, in manus unum aliquem ex latinis auctoribus a Ritschelio aut Fleckeiseno aut Ribbeckio evulgatum, aut ab aliis, qui in eadem sunt haeresi, quique Germanorum aetatis nostrae eruditissimi feruntur. Singularem ibi curam atque industriam animadvertetis, qua vir, laboris patientissimus, vel centenos codices manu exaratos excussit, ut nativa ab insititiis discerneret. Videbitis, ex corruptissimis locis genuinum verborum contextum interdum fuisse feliciter exsculptum. Sed mirabimini, Auditores, rerum saepe et verborum ordine immutato, aliud alio ad voluntatem transferri et plurima misceri. Mirabimini diversas ac toto caelo discrepantes vetustissimorum philologorum opiniones, acervatim et sine ullo delectu positas. Postremo mirabimini, ad singula ferme verba innumeras accedere v a r i a s l e c t i o n e s, quae

ex veterum librariorum ignorantia profectae nihil plane conferunt ad volumen emendandum. In tanta autem illa variarum lectionum farragine, quibus vera et propria scriptoris sententia pene obruitur atque obscuratur, vix ac ne vix quidem continget, ut vel tenuissimum aliquod lumen incertae legentium menti praeferatur. Siquem forte in latinis operibus locum offendas ambiguum, involutum, atque arduae explanationis; frustra in germano editore idoneum vocis aut locutionis enarratorem requiras, qui tenebras tibi discutiat. Aut obscurissimum locum silentio penitus praeteritum stomachaberis; aut postquam longo anfractu ad multa eademque a proposito abhorrentia fueris deductus, tandem senties, interpretem verba verbis coagmentantem, tibi fucum fecisse. Omnino tibi erit alio confugiendum, ut implicatissimam sententiam circumscripta oratione apte declaratam perspicias (16). Attamen incredibile dictu est, Auditores, quam magnifice se efferant Germani ob memoratas latinorum scriptorum editiones, quae non ingenii celeritatem, non acumen editoris arguunt, sed tardos ac patientes animos, et corpora improbis laboribus durata (17)!

Magna haec quidem sunt vitia, quibus foedatae pleraeque latinorum scriptorum

editiones ex Germania ad nos afferuntur. Sed animos, quaeso, attendite ad ea quae consequuntur. Illud est satis apud elegantiores pervulgatum, hoc praecipuum interpretis munus, hasce praecipuas partes esse in romanis scriptoribus enucleandis, ut studiosos iubeat ad lectissimos quosque locos animum advertere, unde pulcri sensus maxime perspicitur, atque intelligens illud iudicium eruitur, quod perperam nonnulli nebulosis quibusdam praeceptionibus contineri putant, quas αἰσθητικὴν graece vocant. Verum enimvero si in germanicis latinorum scriptorum editionibus opportunissimae illae ac frugiferae animadversiones plerumque desiderantur, quae pertinent ad dispellendam rerum et verborum obscuritatem, quaeque faciunt, uti adolescentes, notata apud veteres sententiarum altitudine atque orationis munditia, ingenium alant, iudicium acuant; at contra ex hyperborea Germanorum schola infelix illa manavit scriptorum cohors, qui in pulcri causas et naturam inquirentes, suis se acuminibus compungunt, omnia late perversis subtilitatibus atque ambagibus inferciunt; et, dum noctem quamdam scriptionibus suis offundunt, omnino id agere videntur, ut quod ipsi effutiunt, nemo unus, ne coniectura quidem, assequi possit. Ad has nimi-

rum Germanorum lucubrationes respiciens M. Nisardus, vir apud Gallos doctissimus acerrimique iudicii, verissime abhinc aliquot annos scripsit: « *L'esthétique c'est une science, où en voulant rechercher la nature du beau, on risque fort de rencontrer l'obscurité et la confusion, et où les plus habiles n'ont pas réussi à former un corps de vérités* (18). »

Habetis, Auditores humanissimi, rationem, cui a patrum memoria ad hanc nostram aetatem plerique Germanorum se addixerunt in latinis litteris excolendis. Multo plura sane mihi licuisset hac de re in medium proferre. Sed consilium fuit summas tantummodo attingere, ne praescriptos acroasi meae fines excederem. Pauca tamen, quae obiter attuli, mihi satis esse videntur, ut elegantissimus quisque miretur, italos adolescentes, qui latinis litteris operam dare consueverunt, ad hanc Germanorum disciplinam nunc institui atque erudiri.

Iam illud ést apud omnes testatum, in prima puerili institutione huc praesertim esse spectandum, uti discentes grammaticorum primordia animo etiam atque etiam imbibant. Nisi enim omnia, quae ad emendate loquendi scribendique artem pertinent, penitus perspecta planeque cognita habuerint

adolescentuli; frustra coneris ut ipsos ad penitiorem litterarum latinarum notitiam perducas. Vires ad progrediendum firmae eos deficiunt. In medio saepe itinere imbecilli subsistunt; neque ullo pacto languentes commoveris. Sed quemadmodum in praeceptis institutisque latinae grammaticae necessaria scitu non sunt praetermittenda; ita peritus praeceptor diligentissime cavebit, ne tironum mentes minutissimis quibusque regulis statim inferciat, ne animadversionibus animadversiones cumulando, illorum aetatulam obruat, parvulos ingenii igniculos, quos natura pueris dedit restinguat, postremo ne fastidio quodam et satietate a studiis discipuli abalienentur. Ad haec autem potissimum conferet idoneus grammaticarum institutionum delectus, in quibus certus quidam modus atque ordo rebus adhibeatur; omnia dilucide et perspicue efferantur; singula syntaxeos praecepta egregii scriptoris testimonio comprobentur, et lectissimi quique loci, latinorum fonte petiti, italica eademque probabili interpretatione declarentur.

Quae quum ita sint, nescio equidem quonam infelici nostrarum scholarum fato fieri dicam, ut deterrimus auctorum grammaticorum pueris nostris obtrudatur. Ex libris

omnibus, a Germanorum officina profectis, nulli certe sunt a litterarum latinarum scholis magis ablegandi, quam scriptores grammaticae disciplinae. Quum enim longe diversissimum sit latini et germanici sermonis ingenium, perperam horridior illa et durior Teutonorum ratio ad suaviloquentem Romanorum iucunditatem et clarissimum candorem transfertur. Ecquis igitur non miretur, non doleat, non indignetur, Ferdinandi Schultzii grammaticam adolescentulis nostris proponi, ad latini sermonis primordia contendentibus? Equidem, ni satis spectata foret docentium virtus, probitas et sapientia, vaferrimo cuipiam haud temere suspicari liceret, schultziani operis necessitatem de industria studiosis iniungi, ut implexa oratione irretiti, innumeris divisionibus illaqueati, minutis quaestiunculis implicati teneantur, et iam inde a primis initiis tamquam molesta latinae grammatices elementa fastidiant (19). Quum praesertim italica schultziani voluminis interpretatio a librariis nostris officinatoribus fuerit evulgata, quae plurimis mendis scatet, nec vitia emendat, quae supra commemoravi. Quibus positis, siqua mihi auctoritas in hac litterarum disciplina est parta, libere et aperte profiteri non dubito, schult-

zianam grammaticam aetate provectis viris, qui pleno iam latinitatis fonte se proluerint, alicui fortasse commodo futuram; at e puerorum manibus, ad litteras latinas nunc primum accedentium, omnino esse excutiendam.

Ergone, Auditores, eo iam ventum est, ut repudiata patrum nostrorum doctrina, avidissime atque unice arripiamus, quae a Germanorum fonte sunt derivata (20)? Ergone eruditissimi grammaticarum institutionum scriptores, qui a renatis iam litteris ad hanc nostram aetatem floruerunt, tam parvi pendendi, ut ne unus quidem dignus sit, a quo adolescentuli nostri latinae illius linguae regulis imbuantur, quam in regionibus nostris natam, arctissima cognatione cum italico nostro sermone coniunctam, pene cum lacte nutricis sugere videntur? Illorum tamen disciplina maiores nostri a pueris instituti, in latinis litteris tantum profecere, ut Itali latinorum scriptorum facile principes semper habiti fuerint. Hinc uberrimus ille nostrorum hominum proventus exstitit, qui superiore memoria classicos, quos vocant, auctores romanos diligentissime emendarunt, aptis iisdemque latinis adnotationibus in usum studiosorum illustrarunt. Ecquis autem patiatur, a repentinis quibusdam Italis, rerum nostra-

rum incuriosis, italos latinorum scriptorum enarratores abiici, ut Germanos illos sectentur, sagacissimos syllabarum et variarum lectionum aucupes, quos supra memoravi? Ecquis patiatur, italos quosdam praeceptores alumnis suis doctissimos interpretes invidere, qui elegantissimis commentariolis romanos scriptores enuclearunt, ut ignobiles quosdam explanatores iis obtrudant, qui parabilem eruditionem a Germanis mutuati, vernaculas et plebeias animadversiones libris appingunt, nihil, ut Gellii verbis utar, ex veterum scriptis habentes neque gratiae neque dignitatis (21)? Quid quod? Vesana quaedam germanicae imitationis cupido nostrorum animos sic cepit, ut nonnulli, repudiata orthographia, quam optimae quaeque editiones ad hanc diem tenuerunt, et optimi codices, et ipsi litterati lapides augusteae aetatis tuentur, barbaricam quamdam formulam rationemque scribendi sequantur, a Germanis invectam, quae a recepta consuetudine plane recedit, atque insolitum latinis vocibus sonum, nobisque inauditum affingit (22). Huc nimirum evasit nimium, vel in re litteraria, rerum externarum studium!

Sed uti complures alios, ita hunc etiam civibus meis errorem condonarem, nisi res

eo iam processisset, ut viderem, ex scriptionibus latinis illas praesertim laudari, quae germanicam doctrinam redolent. Rem pene incredibilem narro, Auditores, cui tamen nemo unus fidem abrogabit; quum non sit incertis iactata rumoribus, sed publicis monumentis testata; non fando audita, sed ipsis oculis nostris usurpata. Haud multum temporis effluxit, ex quo egregiorum hominum delectus publice est habitus, ad quos pertineret de italis adolescentibus iudicium facere, qui graeci, latini atque italici sermonis studio ceteris aequalibus suis praestarent. Pauci admodum fuere (nec miror), qui se acerrimi iudicii viris probarent. Sed vultisne cognoscere, Auditores, cuinam, ad latinas litteras quod attinet, primas detulerint doctissimi viri, de quibus supra commemoravi? Ei videlicet adolescenti, qui etsi in latinis locutionibus claudicabat, et in grammatica etiam ratione quidpiam peccaverat; non contemnendis tamen virtutibus nitebat, ET GERMANICA QUADAM ERUDITIONE COMMENDABATUR.

Hoc quidem iudicium quotquot vivunt in Italia viri elegantiores vehementer sunt admirati. Scilicet qui latinarum dictionum proprietatem et praecipua latinae synta-

xeos praecepta non teneat, huic pro latina scriptione praemium dari! Me vero italicae dignitatis in primis studiosum, talia perpendentem, et imperitos quosdam audientem, immeritis Germanos laudibus ad caelum efferentes, et libros ex Germania in scholas nostras invectos memoria repetentem, magnus sane timor incessit, ne insano germanicae disciplinae studio, quod patres nostri quaesiverunt latinis litteris decus forte patiamur obscurari. Quamvis enim nobis oblatrent et Mommsenii, et Ritschelii, et Hertzii, Italorum contemptores, testatur historia, iam inde a christiano seculo quartodecimo, quo humanitatis nostrae semina repullulare coeperunt, ad haec usque tempora, principatum in litteris latinis Italos sic obtinuisse, ut cum expolitissima quaque gente contenderent. Neque tamen verba mea sic velim intelligi, ut quispiam arbitretur, me conari ut studiosos adolescentes deterream ab illis Germanorum operibus, qui in graecarum et latinarum litterarum vices acute et sapienter inquirunt. Et memini, me anno superiore, pronis auribus accipere humanissimi collegae mei (23) orationem, qui acroases suas auspicatus in hoc athenaeo, erudite atque ex Wolfiana sententia de Homericis poëmatis dissereret. Quin et alumnos meos ad haec studia interioris

doctrinae vehementer hortor atque impello, in quibus non inficior, me annos amplius quadraginta mediocriter esse versatum. Hoc unum peto, et iure quodam meo postulo, ut ne rerum nostrarum pertaesi, externa tantum sectemur, et latinarum litterarum disciplinam ad Germanorum rationem perperam exigamus.

ADNOTATIONES

(1) V. Il Codice di Dalmazzo Berardenco, Osservazioni di G. Francesco Muratori. Torino, Stamp. R., 1867, in-8°, di pag. 24. — Sopra Giuseppe Meyranesio e Dalmazzo Berardenco, Appunti critici di Carlo Promis. Torino, Stamp. Reale, 1867, in-8°, di pag. 21. — Memorie storiche di Dronero e della Valle di Maira per G. Manuel di S. Giovanni. Torino, Tipogr. Subalp. di Marino e Gantin, 1868, Vol. III in-8°.

(2) Ferdinandi Handii Tursellinus, seu De particulis latinis Commentarii. Lipsiae, in libraria Weidmannia, impensis G. Reimeri, ann. 1819 et seqq. Vol. V, in-8°.

(3) Vide praefationem, quam Frid. A. Wolfius Berolinensi editioni praemisit operum Tullianorum, an. M. CCC. I.

(4) Orationes ad Quirites post reditum; De Haruspicum responsis; Pro domo sua; Pro M. Marcello.

(5) Hic ille ipse est Wolfius, qui λὰξ καὶ ὀδὰξ

conatus est ut inter fabulosa commenta Homerum amandaret.

(6) Sex huiusmodi argumenta perperam depromsit Wolfius a grammatica ratione, a logica sententiarum veritate, ab elegantia, a notatione errorum adversus historicam veritatem, a civili prudentia, a stylo cuiusque scripto ris proprio.

(7) « Ei fu mestieri di parlare già parecchie volte di quest'uomo eruditissimo (Cicerone). Come uomo di Stato, senza penetrazione, senza opinioni e senza mire, esso ha successivamente figurato come democratico e come strumento di monarchi, e non fu giammai altro, che un egoista di vista corta... Sotto l'aspetto letterario... egli deve la sua rinomanza al suo stile, e soltanto come statista, mostra egli una certa conoscenza di se stesso. Come scrittore per contro egli è al medesimo basso livello, nel quale si trova come uomo di Stato. Egli per elevarsi si è provato in tutti i generi... Egli era di fatto tale un impiastrafogli, che era uguale (*sic*) qual materia trattasse. Una natura da giornalista nel pessimo senso dell'espressione, gran parolaio, come egli stesso lo diceva, povero di pensieri (*sic*) oltre ogni credere, non v'era ramo, in cui col sussidio di pochi libri, traducendo e compilando, non avesse raffazzonato uno scritto leggibile. La sua corrispondenza epistolare riflette meglio di tutt'altro la sua immagine. Si suol dire interessante e spiritosa, ed essa lo è in quanto che riflette la vita delle capitali e delle ville del mondo aristocratico; ma dove lo scrittore è ridotto a se stesso,

come nell'esilio, nella Cilicia e nella battaglia di Farsaglia, essa è fiacca e morta, come l'anima di un appendicista, gettato fuori del suo centro. È quasi superfluo il dire che un simile uomo di Stato, e un simile letterato, anche come uomo (*sic*), non poteva avere, che una debole vernice superficiale, ed essere senza cuore. Abbiamo a descrivere anche l'oratore?... Cicerone non avea nè convinzione nè passione; EGLI ALTRO NON ERA FUORCHÈ UN AVVOCATO, E NEMMENO UN BUON AVVOCATO. Egli sapeva esibire la sua sposizione con aneddoti, e con alcun che di piccante... e rasserenare l'arido esercizio della giurisprudenza con arguzie e con sottigliezze per lo più personali. Le sue migliori orazioni, sebbene esse pure non raggiungano per nulla quella grazia e quel colpo sicuro (*sic*) delle più famose composizioni di tal genere, come le memorie di Beaumarchais, offrono però una lettura facile e piacevole. Se però i pregi ora accennati sembrano già al severo giudice d'assai dubbio merito, l'assoluta mancanza di ogni senso politico nei discorsi di cose di Stato, d'ogni deduzione giuridica nei giudiziari, l'egoismo obblioso d'ogni dovere, che sopra l'avvocato perde di vista la cosa (*sic*), L'ASSENZA ASSOLUTA D'OGNI PENSIERO DEVONO MUOVERE A SDEGNO OGNI LETTORE DELLE ORAZIONI DI CICERONE, CHE SIA DOTATO DI MENTE E DI CUORE. Se in ciò vi ha qualche cosa di maraviglioso, non lo sono certamente le orazioni; è bensì la meraviglia, che esse destarono... » MOMMSEN, *Storia Romana*, lib. V, capit. 12, traduzione del Sentini. — Equidem non memini, me uspiam legere tantam opinionum per-

versitatem, quantam in hunc locum congessit Mommsenius. Germani hominis stoliditas et arrogantia mirum in modum conspirant cum barbarie indoctissimi Sentinii. Dignus hercle historico interpres!

(8) Vide Lachmanni De fontibus historiarum Titi Livii Comment. I, Gottingae, MDCCCXXI; Comment. II, Gottingae, MDCCCXXVIII, in-8°.

(9) MOMMSEN. Op. cit.

(10) « . . . La nazione italiana non può ora, nè poteva in antico noverarsi tra le nazioni dotate a preferenza della virtù poetica: All'Italiano manca la passione del cuore (*sic*)..... e... il più sacro prestigio dell'arte poetica... Non vi è popolo, nè vi ebbe, che possa pareggiar gl'Italiani nel particolar pregio della rettorica e della rappresentazione comica. Ma quanto alle altre ragioni dell'arte, essi non poterono andar oltre una cotal lestezza (*sic*), e in nessuna epoca la loro letteratura ha prodotto una vera epopea e un vero dramma (*sic*). Anche le più elaborate opere letterarie, che ebbero voga in Italia, poemi divini, come la Commedia di Dante, storie come quelle di Sallustio, di Machiavelli (*sic*), di Tacito e di Colletta, ritraggono più una passione rettorica che naturale (*sic*). Fin nella musica si è rivelato nell'Italia sì antica che moderna molto meno il genio creatore che il facile ingegno..., e, in vece dell'arte vera e profonda, mette sugli altari un idolo vuoto, e che inaridisce le ispirazioni interne del cuore. . . » (MOMMSEN, *Op. cit.*, lib. I, capit. XV, traduzione del Sentini.) Ecquis Italorum ineptissimas Ger-

mani nostri ineptias non rideat? *Je crois, Dieu me pardonne, que mon homme a la tête sur le bonnet.*

(11) Vide sis: Parergon Plautinorum Terentianorumque vol. I, scripsit Fridericus Ritschelius. Lipsiae apud Weidmannos, an. MDCCCXLV, in 8°. (Ibi legitur Ritschelii Dissertatio de Plauti poëtae nominibus a pag. 3 ad 43. — Vide: Thomae Vallaurii Animadversiones in dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtae nominibus. Augustae Taurinorum, ex officina Regia, an. MDCCCLXVII, in-4°. — Ex Actis Regiae Societatis Taurinensis Scientiarum finibus proferendis, vol. XXIV, Ser. II.)

(12) Friderici Ritschelii Opuscula Philologica. Vol. II, ad Plautum et grammaticam latinam spectantia. Lipsiae, ex aedibus B. G. Teubneri, MDCCCLXVIII, in-8°, cum hac inscriptione: Viro Plautinissimo Alfredo Fleckeiseno amico unico sacrum.

(13) V. TIRABOSCHI, *Storia della letter. ital.*, vol. VI, parte II, pag. 708, 445; parte III, pag. 1119 (ediz. di Modena).

(14) TIRABOSCHI, Op. cit., vol. VII, parte III, pag. 1164.

(15) De capienda ab inimicis utilitate.

(16) Iuvat in medium adferre quae apte in hanc rem scribit Iosephus Spezius, doctor decurialis litteris graecis tradendis in Romano Archigymnasio, cui a sapientia nomen est factum, vir ingenio, doctrina, acerrimo iudicio spectatissimus, idemque nobis amicissimus: « Ristampare i greci e latini scrittori antichi alla maniera che l'Hoche ha testè fatto di Nicomaco (Nicomachi Gera-

seni, Introd. arith., libr. II, Recensuit R. Hoche, Lipsiae, an. MDCCCLXVI) non riesce a vantaggio grandissimo della critica filologica. Dal quale mio consiglio non ho cagione di partirmi. E quantunque un'amicizia onorevole mi stringa da parecchi anni con molti e dotti filologi di Germania, autori di nuove edizioni di greci e di latini libri, apparecchiate o compiute nella Vaticana Biblioteca, e non altrimente condotte che questa Hochiana; tuttavolta non varrebbe a muovermi quell'amicizia a passare dalla parte loro, e tenere con essi intorno al modo di pubblicarle, cioè recando le nude e semplici varianti dei Codici e di qualsivoglia sposizione critica scompagnate. Ed io stimo che tali studi, allorchè fanno sembiante di volgere in basso, è bisogno di . . . ritenerli in vita ed in onore, tornandoli ai migliori e più gloriosi tempi. E quali tempi volsero gloriosi alla nostra Italia? Il decimoquinto e sesto secolo: allorquando i Codici degli antichi scrittori greci e latini passarono in mano di sapientissimi e giudiziosissimi scrittori, siccome il Poggio, il Guarino, il Valla, il Filelfo, l'Alberti, il Ficino, il Poliziano, il Beroaldo, il Merula, l'Orsini, il Vettori, i Manuzzi, gli Scaligeri, il Panvinio, il Sigonio e cento altri di questa nobilissima schiera, I QUALI PUBBLICANDO QUEGLI AUTORI, NON CI ARRECAVANO LE SOLE VARIANTI DEI CODICI, MA RAGIONANDO LE INTERPRETAVANO, E NE PROPONEVANO LE PIÙ CERTE E PROBABILI. »

(17) Germani latinorum scriptorum editores, qui syllabas et varias lectiones anxie venantur, omnino mihi referre videntur

gregarios illos et insulsos litteratores (italice pedanti, gallice cuistres de collége), qui seculo XV et XVI maiores nostros in scenicis fabulis hilarabant, quosque graphice adeo depingit Giordanus Brunus in Manfurii persona. « Questi (*Manfurio*) è uno di quei tanti po-
« stillatori, glosatori, scoliatori, interpreti, appa-
« ritori con una grammàtica nuova, un dizionario
« nuovo, una VARIA LECTIO, che vengono conse-
« crati all'immortalità come benefattori del pre-
« sente secolo e futuri, obbligati per questo a
« dedicarli statue e colossi nei mediterranei mari
« e ne l'oceano et altri luoghi inabitabili. »

« Asello auricolato, indotto al tutto,
« In nullo ludo letterario istrutto. »

Vide sis: Il Candelaio, commedia del Bruno Nolano. — Cf. BERTI, *Vita di G. Bruno*. — KLEIN, *Geschichte des Drama's*.

Huiusmodi Manfurii, quorum memoria nunc apud Italos est obscurata et evanuit, abhinc aliquot annos feliciter renascuntur apud Germanos, et Ritschelii, Hertzii appellantur.

(18) M. NISARD, *Rapport au nom de la Commission chargée d'examiner le règlement d'études de l'école normale supérieure* (section des lettres). V. *Le Moniteur Universel*, samedi, 7 août 1852.

(19) In Schultziano opere, praeter multa obscure, improprie, inordinate, incuriose dicta, nonnulla etiam occurrunt in grammaticae leges peccantia. Instar omnium sint quae leguntur in capite primo, § 4°: I dittonghi sono sempre lunghi. Ecquid ais, Schultzi doctissime, de Virgiliano

hoc versu: Stipitibus duris agitur sudibusque praeustis (*Æn.*, VII, 524); aut de Ovidiano: Iamque novi praeeunt, fasces, nova purpura fulget? (*Fast.*, I, 81).

(20) « Termineremo notando una vergogna . . . Eccola: In questi programmi (d'insegnamento) quasi mai non si nomina un libro o un lavoro qualsiasi di testo per indirizzamento dei maestri e degli scolari, che non sia di origine tedesca . . . La più lodata delle grammatiche latine è quella di Ferdinando Schultz, CHE MUOVE A RISO GL'INTELLIGENTI. » Vedi a pag. 15 dell'opuscolo intitolato: *I programmi d'insegnamento* (10 ottobre 1867) *giudicati dalla stampa italiana, con un'Appendice di osservazioni critiche sulla grammatichetta latina di F. Schultz*. Torinó, 1868.

« Nel fatto di umane lettere non pure si è perduto il buon gusto, ma (quel che è peggio e che è vergogna a dire) il buon senso . . . colpa di quelli che lasciano instituire nelle nostre scuole metodi tedeschi; i quali se proprii sono di quella nordica razza, non si confanno per nulla a noi, informati, sotto questo cielo ridente, ad una letteratura che è tutta nostra; e che quantunque possa momentaneamente violarsi, non potrà giammai essere mutata. Ma a che pro queste mie povere parole, se lo stesso celeberrimo Ranalli, per gridare che ei faccia, non è voluto punto ascoltare! ? » FEDERICO BALSIMELLI, Rimini, tipogr. Malvolti, 1868.

(21) *Noct. Attic.*, XII, 2.

(22) Sunt in Italia perpauci quidam, ex litterarum latinarum doctoribus, morosi et anxii ineptiarum sectatores, qui Germanos putidius

imitati, scribant: *contio, temptare, conloquium, moenitus, vicium, eclogium, propincus, transdunt, spacium, condicio, adulescens formonsus, cocus, cotidie, tralatus, pellegere, sescenta, epistula, suspitio*, etc., pro eo quod est concio, tentare, colloquium, munitus, vitium, ellogium, propinquus, tradunt, spatium, conditio, adolescens formosus, coquus, quotidie, translatus, perlegere, sexcenta, epistola, suspicio, etc. Apage istos a me degeneres Italos, servum pecus, qui desperantes, se veterum Romanorum elegantiam consequi posse, germanica barbarie latinum candorem student infuscare!

(23) Iosephus Muellerus hic est, quem honoris causa memoro; hoc praesertim nomine, quod alumnos elegantioris nostrae disciplinae, plusquam pro virili parte, ad litterarum graecarum studium impellit.

THOMAE VALLAVRII

ANIMADVERSIONES

IN DISSERTATIONEM

FRIDERICI RITSCHELII

DE PLAVTI POËTAE NOMINIBVS

Ex Actis Regiae Societatis Taurinensis
Scientiarum finibus proferendis
Vol. XXIV. Ser. II.

Et refelli sine pertinacia, et refellere sine iracundia parati sumus.

M. T. Cicero, Tuscul. Disp. II, 2.

THOMAS VALLAVRIVS

AEMILIO EGGER

S. D.

Iam inde ab anno M. DCCC. LIX humanissimis litteris tuis, datis X cal. quintiles, petiisti a me, vir clarissime, quid sentirem de Plautina editione, quam Fridericus Ritschelius adornaret, deque eius Parergis in Umbrum poëtam, praesertim vero de disputatione, quae inscribitur de Plauti poëtae nominibus. Memini, me breviter, ut in epistola, paucos post dies tibi rescribere. Quum autem lapsu temporis in ea fusius inquirerem, quae a me fueras sciscitatus,

neque a placita sententia recederem, consilium cepi commentariolum concinnandi, in quo argumenta singillatim refellerem, quibus fretus Bonnensis Doctor novum Sarsinati poëtae nomen affinxit. Quod quidem commentariolum, in Actis evulgatum Societatis Taurinensis Scientiarum finibus proferendis, nomini tuo inscribendum putavi, doctissime vir, qui mihi auctor fueras rei diligenter expendendae. Meam igitur lucubratiunculam, quae tua humanitas est, ut aequi bonique facias etiam atque etiam rogo. Gaspar Gorresius collega, quem, uti nosti, Orientalium sapientia totum ad se convertit et rapit, te verbis meis iubet salvere plurimum. Vale.

Scripsi Augustae Taurinorum postrid. id. apriles an. M. DCCC. LXVII.

ANIMADVERSIONES

IN DISSERTATIONEM

FRIDERICI RITSCHELII

DE PLAVTI POETAE NOMINIBVS

Postquam singulari Sarsinatium benignitate publice illorum civitate sum donatus, et M. Accium Plautum me iuvat civem meum appellare, opus iamdiu inchoatum Plautinas Comoedias illustrandi (1) alacriore animo mihi profligandum putavi; et, si

(1) Quatuor iam comoediae editae fuerunt cum hoc titulo: *M. Attii Plauti Aulularia, Miles gloriosus, Trinumus, Menaechmi* ad recentiores editiones exegit; animadversionibus auxit et scholasticis praelectionibus accommodavit Thomas Vallaurius. Aug. Taurinorum, ex offic. reg., ann. M. DCCC. LIII-LIV-LV-LIX, in-8°.

per vires licebit, me aliquando perfecturum confido. Quum autem propositi tenax, in criticas scriptiones studiosius inquirerem, quae de hoc poëta proxime apud Germanos prodiere, incidi in quaestionem, quam haud ita pridem invexit Fridericus Ritschelius, collega noster, doctor olim decurialis et magister a bibliotheca in athenaeo Bonnensi.

Eruditissimus hic vir, de litteris latinis optime meritus (1), abhinc aliquot annos animum appulit ad evulgandas fabulas Plautinas eo praesertim consilio, ut emendatissimae, quoad eius fieri posset, in manus hominum venirent. Constat enim inter omnes, nullum fortasse ex romanis scriptoribus fuisse pluribus mendis deformatum, quam Umbrum poëtam. Itaque diu multumque in manibus habuit Ritschelius Plautinos codices, manu exaratos; eosque praesertim, qui adservantur Romae in bibliotheca Vaticana, et palimpsestum, quem Angelus Maius invenit Mediolani in bibliotheca Ambrosiana, quique, si fides Niebuhro est

(1) Hanc sibi laudem multis nominibus vindicat Bonnensis professor, praesertim vero ob priscae latinitatis monumenta epigraphica, quae Berolini evulgare aggressus est iam inde ab anno M. DCCC. LXII, ad archetyporum fidem exemplis lithographis repraesentata.

adiungenda, pertinet ad seculum quintum christianum. Qua quidem in re ita est versatus Bonnensis professor, ut complures locos Plautinos, apte sapienterque emendatos, in pristinum nitorem restitueret. Attamen (ut ingenium est doctissimorum, quibus multa acuta et subtilia veniunt in mentem) sibi liberius interdum indulgens eo processit, ut Plautum non tam emendare, quam ad libidinem fingere videatur.

Sed antequam Sarsinatis comoedias in vulgus ederet (1) Ritschelius, anno huius seculi quinto et quadragesimo Parerga in Plautum (2) emisit, in quibus fusius disserit de Plauti poëtae nominibus deque eius aetate, de Plautinis fabulis, quae Varronianae vocantur, de Plautinis didascaliis, de veteribus Plauti interpretibus, aliisque id genus, ex quibus studiosi uberes sane fructus percipient.

Vix cum hae Ritschelij disputationes in vulgus manarunt, in omnium ore atque

(1) *T. Macci Plauti Comoediae* ex recensione et cum apparatu critico Friderici Ritschelii..... Bonnae, H B. Koenig. An. M. DCCC. XLVIII, in-8°.

(2) Parerga zu Plautus und Terenz erster bund von Friederich Ritschl. Leipzig, 1845, in-8°. (Parergon Plautinorum Terentianorumque vol. I scripsit Fridericus Ritschelius. Lipsiae, apud Weidmannos. An. M. DCCC. XLV, in-8°.)

sermone prima illa esse coepit, quae inscribitur de Plauti poëtae nominibus. Siquidem clarissimus hic vir confirmare aggreditur, Sarsinatem poëtam, non Marcum Accium Plautum (quod nomen iam inde ab exeunte seculo quintodecimo omnes Plauti editiones constantissime praeseferunt), sed Titum Maccium Plautum esse appellandum (1).

Huic Ritschelii opinioni suffragati sunt apud Germanos Lachmannus atque Hertzius, acerrime vero adversati sunt Geppertus et Kleinius (2), excellentis ingenii et doctrinae viri. Apud Gallos Ritschelianum commentum insectatus est G. Boissierus, professor in Parisino lyceo, cui nomen a Carolo Magno est factum (3). Naudetus autem vir cl. nec adfirmare nec refellere ausus, rem in medio relinquit (4). Ceterum praeter nonnullos Germanos, in quibus Fleckeise-

(1) Iam anno M DCCC XLII Ritschelius scripserat in *Museo Philologico*, se Plautinas fabulas vidisse in παλιμψήστῳ Ambrosiano, *T. Macci Plauti*, non *M. Acci Plauti* appellatione donatas.

(2) Geschichte des Drama's von J. L. Klein, Leipzig, T. O. Weigel, 1865-67, in-8°.

(3) V. *Journal général de l'Instruction publique*, vol. 28, n° 39 et 41; 11 et 21 mai 1859.

(4) « Qu'il se soit appelé *M. Accius* ou *At-* « *tius Plautus*, comme le portent les éditions

nus (1), neque apud Britannos, neque apud Italos, neque apud alias gentes, politiore humanitate excultas, quispiam hactenus fuit, qui Plautinas fabulas Ritscheliana appellatione evulgaret; si excipias in Gallia Æmilium Benoist, amicum meum, eundemque spectatissimum litterarum latinarum doctorem in lyceo imperatorio Massiliensi, qui abhinc quatuor annos *Cistellariam*, et anno insequenti *Rudentem* edidit, Ritscheliano titulo donatas (2).

Haec breviter de doctissimis viris, qui

« de ses œuvres imprimées, ou que l'on ait nommé « *T. Maccius Plautus*, comme l'a prouvé « (comme il prétend de l'avoir prouvé) le savant « Mr Ritschl dans une dissertation de quarante pages, « dont Mr Lachmann adopte les conclusions contestées « par Mr Geppert, et défendues par Mr Martin Hertz « dans un mémoire de 32 pages in-8°, etc. NAUDET, « Nouvelle Biographie générale, publiée par Mrs Firmin « Didot frères. Paris, Didot, M. DCCC. LXII, tom. 40me « ad vocem *Plautus*. »

(1) T. Macci Plauti Comoediae ex recensione Alfredi Fleckeiseni. Lipsiae, sumtibus et typis B. G. Teubneri. M. DCCC. L.

(2) *Titi Macci Plauti Cistellariam* recensuit variorumque notis illustravit Æ. Benoist. Lugduni, 1863, in-8°. Praeposita est huic editioni politissima galli doctoris praefatio. — *Titi Macci Plauti Rudens.* « Le Cable, Comédie de Plaute, « revue sur les principales éditions et publiée avec « une préface et des notes en français par E. Benoist,

Plautinum praenomen et nomen, a Ritschelio nuper procusum, aut recipiendum aut repudiandum existimarunt. Quum autem fusius et diligentius in rem ipsam esse inquirendum putarem, ab illorum tamen scriptionibus evolvendis omnino abstinere decrevi, qui aut pro Ritschelio stetissent, aut in diversam sententiam discessissent; ne forte aliorum auctoritate, potiusquam rationum momentis, impelli viderer. Quapropter marte meo rem expediens, multis praetermissis, quae habet Ritschelius in Parergis (1) suis ad Plautum, summa tantum argumentorum capita expendam, quibus tota nititur Bonnensis professoris disputatio. Quo facto, meas animadversiones in medium adferam, quas acerrimo vestrum iudicio propono, collegae clarissimi, qui me abhinc aliquot menses vestrorum studiorum socium et consortem, pro vestra humanitate, adsciscendum putastis.

« ancien élève de l'Ecole normale, agrégé pour la « classe supérieure, etc. Paris, Auguste Durand, 1864, « in-8°. » Ibidem in notis, pag. 79, scripsit Æ. Benoist: « Je crois avoir en France mis pour la première fois « en tête d'une Comédie de Plaute cette désignation: « *T. Macci Plauti.* »

(1) De Plauti poëtae nominibus Dissertatio I, pag. 3-43. — Die Plautinischen Didaskalien. Dissertatio IV, pag. 297.

Primum omnium ait Ritschelius, in nullo ex codicibus Plautinis, manu exaratis, legi praenomen et nomen auctoris, sed omnes ad unum, excepto palimpsesto quodam Ambrosianae bibliothecae Mediolanensis, hoc titulo esse donatos: Plauti Comoediae, vel Plauti Comici Comoediae; vel demum Plauti Comici Poëtae Comoediae. Praeterea vetustiores omnes editiones Plautinae, arte guttembergia evulgatae (veluti quas Alexandrinus Merula adornavit iam inde ab anno M. CCCC. LXXI et anno M. CCCC. LXXXII), hoc solum titulo gaudent: Plauti Comoediae (1). Quibus positis, concludit Ritschelius, praenomen illud et nomen (Marcus Accius), nullo nixa fundamento, perperam ab antiquissimis Plautinarum fabularum interpretibus (2) Sarsinati poëtae fuisse adficta, pro

(1) Est apud me antiquissimum et pretiosissimum Plauti volumen, Parisiis editum italicis litterarum formis apud Guillelmum Le Rouge, impensis Dionysii Rocii, bibliopolae, ubi legitur in fronte: *Secunda pars Plautinarum Comoediarum;* deinde *Plauti Comici festivissimi Menaechmus . . . Plauti Sarsinatae Miles*, etc. Ad calcem vero libri: *Finis Plautinarum Comoediarum.*

(2) Omnium primi feruntur Umbrum poëtam *M Accii Plauti* nominibus donasse Saracenus et Pius, qui comoedias ediderunt ab an. M. CCCC. XC ad annum M. D. XIX

eo quod est Titus Maccius; quae postrema nomina ipse testatur legi in membranis Mediolanensibus (1), quas supra memoravi. Quum autem huic Ritschelii sententiae refragentur loci nonnulli ex Varrone, Festo, Frontone, C. Plinio Secundo, A. Gellio atque ex duobus prologis Plautinis deprompti, horum auctoritatem summa ope convellere conatur Bonnensis philologus.

Et primo quidem Varronianum locum adfert a libro VIII petitum de lingua latina (2), cuius haec sunt verba: *Omnia fere nostra nomina virilia et muliebria multitudinis, quum recto casu fiunt, dissimilia, cum dandi, eadem: dissimilia, ut mares Terentiei, feminae Terentiae; eadem in dandi, viris Terentieis, et mulieribus Terentieis. Dissimilia Plautus et Plautius, et communia huius* PLAUTI ET MARCI PLAUTI. Deinde locum alterum exscribit ex eiusdem Varronis libro VII (3), ubi legitur: *M. Accius in Casina* (II, 3, 49) *in fringuilla: Quid fringutis? Quid istuc tam cupide petis?* Praeterea Varroni comitem ad-

(1) Pag. 372: *T. Macci Plauti Casina explicit.* Item pag. 112: *T. Macci Plauti Menaechmi etc.*

(2) § 36 Muell., pag. 419 Speng.

(3) 104 Muell., pag. 381 Speng.

dit Festum grammaticum (1), cuius exstat mutilus quidam locus, quem Paulus Diaconus dicitur in hunc modum supplevisse: *Ploti appellati sunt Umbri, pedibus planis quod essent, unde soleas dimidiatas, quibus utuntur in venando, quo planius pedem ponerent, vocant semiplotia, et ab eadem causa M. Accius poëta, quia Umber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus coeptus est dici.*

Gravissimum sane argumentum ex allatis locis eruitur adversus Ritschelianam sententiam. Siquidem planissime disertissimeque tum Varro, tum Festus memorant Marcum Accium Plautum poëtam. Sed difficultati occurrens Ritschelius, scribit, primum Varronis locum corruptum, ita esse emendandum, ut legamus: *Dissimilia Plautus et Plautius, et commune huius Plauti: ut et Marci.* Quae Ritschelii emendatio eo spectat, ut legentibus suadeat, Varronem hoc significare voluisse: videlicet nomina *Plautus* et *Plautius* communem habere casum genitivum *Plauti*, haud aliter ac nomina *Marcus* et *Marcius* communem habere casum genitivum *Marci*. In altero autem loco Varroniano ait Ritschelius, litteram M ita coniungendam esse cum inse-

(1) Sex. Pompeii Festi *De verborum significatione*, lib. XX, an. M. D. LXXV. Vide pag. CLXVII.

quenti vocabulo Accius, ut legatur Maccius. Item ad Festum quod attinet, contendit, hunc locum vel a Paulo Diacono, qui Festum in epitomen redegit, vel ab aliis fuisse adulteratum; atque in vetustioribus Festi codicibus legi tantummodo . . . *us poëta*, non *Accius poëta*. Unde iam patet, ipsum poëtae nomen desiderari, et propius fortasse ad veritatem accessurum, qui interpretetur [*comic*]*us poëta*. Ceterum probabile non est, pergit scribere Ritschelius, Festum appellasse Sarsinatem nostrum tantummodo *Accium*, quin, addito praenomine, ipsum distingueret a celebri *Lucio Accio* poëta; ergo, concludit, scribendum fuerat certe *M. Accius*. Qua posita lectione, non conficitur, hanc litteram M habendam esse tamquam praenomen, ibique legendum **M**arcus Accius potiusquam M'accius.

Postquam Ritschelius difficultatem dissolvere conatus est ex Varronis et Festi locis profectam, venit ad quandam Frontonis epistolam (1), ubi haec perspicue leguntur: *Mire hoc genus verborum Accius Plautus* . . . Hic autem doctor Bonnensis nihil plane adversus sententiam suam erui posse arbitratur ex hac Frontonis

(1) Vide Palimpsest. Ambros. bibliothecae, pag. 251. — *De orat*, III, pag. 180. Romae, 1846.

epistola, quam Angelus Maius primum evulgavit ex palimpsesto bibliothecae Ambrosianae. Fieri enim potuit, ait Ritschelius, ut negligentia librarii duplicata non fuerit littera M, hoc est praetermissa fuerit haec littera, quae erat coniungenda cum insequenti nomine Accius, ita ut legeretur Maccius. Fortasse etiam Angelus Maius, non bene perpenso Frontonis loco, et vulgatae opinioni indulgens, scripsit Accius pro eo quod est Maccius.

Ad eundem plane modum pugnat Ritschelius adversus triplex, idemque firmissimum argumentum petitum ex C. Plinio Secundo, qui in elenchis librorum XIV, XV et XIX Historiae Naturalis (1), Sarsinatem poëtam conceptissimis verbis appellat M. Accium Plautum. Extrito enim puncto, quo littera M discriminatur a voce ACCIUS, ecce tibi, ait noster, germanum Plauti nomen existit MACCIUS. Quam quidem sententiam studet confirmare animadvertens, Plinium in elenchis, quos supra memoravimus, perraro praenomen, nomen et cognomen singulorum scriptorum coniunxisse.

Haec perfunctorie admodum Ritschelius de Frontoniana epistola et de elenchis Pli-

(1) C. Plinii Secundi Hist. Nat. — Aug. Taurinorum, M. DCCC. XXIX, tom. I, pag. 74, 77, 90.

nianis. Neque vero magnopere laborat de prologo Asinariae, ubi legimus:

Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: huice nomen graece Onagost fabulae,
Demophilus scripsit: MARCUS vortit barbare:
Asinariam vult esse: si per vos licet.

Aut de prologo Mercatoris, ubi exstat hic versus:

Eadem latine Mercator MARCI ACCII.

Namque ad Asinariae versum quod spectat, ait a vulgata lectione recedere codices praestantissimos, in quibus legitur Macrus, vel M. Accius, vel demum Maccus; ibique legendum omnino:

Demophilus scripsit, Macciu' vortit barbare.

In versu autem Mercatoris, manibus pedibusque obnixus ut sententiam suam tueatur, contendit Ritschelius, vocem Accii abhorrere a grammatica Plautinae aetatis, quae non reciperet casum patrium, desinentem in duplex iota; animadvertit, in omnibus codicibus legi vel Mactici, vel Mattici, vel demum Martici; Bothium ipsum, offensum exitu illo genitivi casus in ii, reposuisse Marci

Attici (1); postremo hanc unam lectionem idoneam videri:

Eadem latine Mercator Macci Titi.

Hactenus de nomine Maccius, quod Ritschelius contendit tenendum pro eo quod est Marcus. Restabat, ut germanus philologus alicunde erueret praenomen Titus, quod nescio quomodo suspicatur latere in versu Mercatoris. Cupidius autem quaerenti Ritschelio se se offert locus quidam A. Gellii (2), ubi vulgatae omnes editiones habent: M. Aquilii; codices vero manu scripti praeseferunt M. Accii Titi, vel M. Acutici (3), vel M. Acui-

(1) In parisina Plauti editione Guillelmi Le Rouge, quam supra memoravi, legitur tantummodo: *Eadem latine Mercator Marci.*

(2) Marcus autem Varro in libro *De Comoediis Plautinis*, primo actu, haec ponit: — Nam nec Gemini, nec Leones, nec Condalium, nec Anus *Plauti*, nec Bis Compressa, nec Boeotia unquam fuit, neque adeo *ἄγροικος*, neque Commorientes: sed M. AQUILII. — In eodem libro Varronis id quoque scriptum est, *Plautium* fuisse quempiam poëtam Comoediarum, cuius quoniam fabulae *Plauti* inscriptae forent, acceptas esse quasi *Plautinas*; quum essent non a *Plauto Plautinae*, sed a *Plautio Plautianae*. A. GELLIUS, *Noct. Att.*, III, 3.

(3) Ita legitur etiam apud A. Gellium, editum Lugduni apud Seb. Gryphium, an. 1542.

tii, vel demum M. Hatrutici. Ex corruptis huiusmodi vocibus conatur Ritschelius, divina veluti virgula, exsculpere Macci Titi, animadvertens, in hoc loco, uti interdum fit apud scriptores latinos, nomen Macci praepositum fuisse praenomini Titi. Quo facto arbitratur Ritschelius, se tam certis testimoniis lectionem palimpsesti Mediolanensis munivisse atque firmasse, ut nemo sanus fidem illi audeat derogare.

Haec ferme sunt argumenta, quibus nixus Bonnensis professor novum Sarsinatis poëtae nomen excudit. Quae quidem in universum aestimanti non est dubium, quin ab ingeniosissimo et doctissimo viro profecta videantur. Siquis autem singula studiose intueri, atque ad obrussam coeperit exigere, nae illi Ritschelianum commentum patebit levi tantummodo niti coniectura, et plus habere acuminis quam veritatis.

Equidem aio, me Ritschelio fidem adiungere testanti, Plautinos codices manu scriptos, quotquot hactenus innotuerunt, poëtae praenomine et nomine carere, si unum excipias palimpsestum Ambrosianum. Quod quidem et ipse, abhinc annos quatuor, Italia universa peragrata, oculis usurpavi in singulis bibliothecis, praesertim vero in Vaticana, quae, prae ceteris italicis, Plautinis codicibus pretiosissimis abundat. Do

etiam Ritschelio, Plautinas editiones vetustissimas uno Plauti cognomine exornari. Sed aperte profiteor (pace quod fiat viri eruditissimi), me a Ritschelio penitus dissentire, quum lapidem omnem movet, ut gravissimum testimonium refellat ex Varrone, Festo, Frontone, C. Plinio Secundo, A. Gellio et Plautinis prologis depromptum. Et revera quisnam illius sententiae subscribat, nullo prorsus argumento affirmantis, priorem Varronis locum, quem supra memoravimus, vitio laborare, atque ita esse emendandum, ut expuncto cognomine Plauti, vox Marci habeatur tamquam profecta a nomine Marcius? Quorsum, quaeso, spectant Varronis verba? Huc nimirum ut doceat, nomina latina, quae in recto casu exeunt in *ius* et in *us*, communem habere exitum in casu patrio numeri singularis. Qua lege posita fit, ut et Plautius et Plautus habeant casum genitivum communem Plauti. Hoc perspicue, mea quidem sententia, significavit Varro, quum scripsit: *Dissimilia sunt* (in casu recto) *Plautus et Plautius, et communia* (in casu genitivo) *huius* (1) *Plauti et Marci*

(1) Supervacaneum arbitror monere, pronomen *huius* poni a Varrone tamquam signum casus patrii, pro eo quod esset Graecis articulus τοῦ.

Plauti. Ecquid igitur causae erat, quamobrem Ritschelius incorruptam Varroniani loci integritatem calumniaretur, verbaque ad libidinem immutaret? Responsum in promptu est. Nempe Ritschelii maxime intererat invisum Marci praenomen quovis pacto abolere. Quod quidem praenomen pariter expungit ex altero loco Varroniano, coniunctis litteris in unam vocem Maccius.

Quo facto veretur Ritschelius, ne forte *argutari et hariolari iudicetur*. Ego vero neque argutari, neque hariolari doctissimum hominem dixero, qui postquam falsam sibi alicuius rei persuasionem induit, omnia facit, quo propositum assequatur. Hic autem absurdum profecto Bonnensi philologo videri non debuit, Varronianum locum per coniecturam sic interpungere, ut duae voces in unam coalescerent (1); quum praesertim in libris vetustioribus, manu exaratis, litterae nullis saepe punctis distinctae, uno tenore scribi consueverint.

Neque alio argumento, quam coniectura ductus affirmat Ritschelius, omnem plane

(1) Exemplum instauravit Ritschelius veterum philologorum, qui auctorem *Noctium Atticarum Agellium* non *Aulum Gellium* falso appellandum esse contenderent.

auctoritatem esse detrahendam adulterato, uti ait, Festi loco, quem in medium attulimus. Ego sane non video, cur ibi cogitandum sit de voce *Comicus*, potiusquam de voce *Accius;* non video, cur Festo necesse fuerit (uti contendit Ritschelius), nomen aliquod praeponere voci *Accius*, ne videlicet ambigerent lectores, utrum ipsius verba ad *Lucium Accium*, poëtam tragicum spectarent, an ad Plautum, comoediarum scriptorem. Quum enim in allato Festi loco memorentur *Umbri* et *Sarsinates*, qui a pedum planitie *Ploti* vel *Plauti* appellarentur; iam illud patet apertissime, veteris grammatici verba ad Lucium Accium *Pisaurensem* referri non posse. Quanvis autem Ritschelio concedamus, in vetustis codicibus litteram M probabili omnino coniectura praecessisse nomen *Accius*, anne quispiam hinc colligat, necessario legendum esse Maccius, potiusquam Marcus Accius?

Hanc tamen lectionis necessitatem mordicus tuetur Ritschelius vel in Frontonis loco, de quo supra memoravi; eo usque progressus, ut Angelum Maium, singularis ingenii, doctrinae et diligentiae virum oscitantiae criminari non dubitet, propterea quod in describenda Frontonis epistola, de Accio Plauto, non de Maccio

Plauto cogitarit. Qua quidem in re Angelum Maium falso a Ritschelio accusari apertissime patet ex Frontonis palimpsesto, quem sedulo nuper inspexi in bibliotheca Ambrosiana. Siquidem vox verborum versum claudit; nomen vero Accius legitur initio versus insequentis hoc modo:

. . . . mire
hoc genus verborum
Accius Plautus . . .

Ceterum si res vel una auctoritate sit dirimenda, Angeli Maii scriptionem Ritschelianae emendationi longe praetulerim. Italus enim philologus, nullo instinctus studio, non antecapta persuasione impulsus, Frontonianum exemplar descripsit. E contrario hoc unum Bonnensi doctori erat propositum, ut ex Frontonis epistola placitam, sibique unice probatam lectionem erueret.

Quamquam nihil iam nobis opus erat, ad controversiam diiudicandam, recentiorum scriptorum auctoritatem in medium adferre. Nulla enim hac de re inter aequos sapientesque aestimatores contentio iam esse potest, qui Plinianos modo elenchos inspexerint, in quibus Umber poëta haud semel, sed iterum ac tertio, expressa M. Accii Plauti appellatione dona-

tur (1). Nec facit quod scriptor historiae naturalis, in auctoribus commemorandis, uno ferme aut duobus nominibus contentus, perraro tria usurparit. Cur enim Plinio in L. Atteio Capitone (2) et in Cassio Severo Longulano (3) designandis, triplicis nominis gratiam facias, in M. Accio Plauto non facias? Nempe oportet contrariis, iisdemque certissimis indiciis nitatur qui pervicaci animo Plinianae huic lectioni repugnet, quam incorruptam testantur, praeter cetera argumenta, ipsi prologi Plautini Asinariae et Mercatoris.

Hic vero te, Ritscheli, rogo, vir doctissime, ut ne graveris percunctanti mihi ex tui animi sententia respondere. Tute fateris, apud praestantissimos codices manu scriptos in Plautinae Asinariae versu, de quo supra dictum est, legi vel *Macrus*, vel *M. Accius*, vel *Maccus*. Dic igitur, sodes, nonne variae huiusmodi codicum lectiones, etiam spectata litterarum similitudine, propius et verius ad vulgatam (Marcus) accedunt, quam ad illam tuam emendationem

(1) Expressa hac *M. Accii Plauti* appellatione donatur Sarsinas poëta etiam in Pliniano Palimpsesto S. Pauli Carinthiano. Cf. Hertz, *Dissert. Epim.*, pag. 14.

(2) C. Plinii Secundi edit. Taurin. tom I, pag. 38.

(3) Op. cit., tom. I, pag. 147.

(Macciu'), qua ingeniose quidem et acute difficultatem dissolvere studuisti? At minus feliciter, pace tua dixerim, rem expedivisti in prologo Mercatoris, ubi versum carpis, quod recedat a grammatica ratione Plautini aevi, quae exitum repudiaret genitivi casus singularis in *ii*; ideoque tamquam vitiatam expungis vocem Accii. Patere sis, Ritscheli, me tuis armis adversus te pugnare; illa videlicet usurpando, quae ipse passim tangis in Parergis (1), quaeque nuperrime confirmavit Dziatzkus (2) in disputatione sua de prologis Plautinis et Terentianis. Nimirum romanas comoedias, quae semel in theatro actae stetissent, plausuque fuissent a spectatoribus exceptae, histrionum greges praesenti pecunia a poëta mercabantur, easque pro arbitratu suo immutabant ut spectantium ingenio et voluptati obsequerentur (3). Quas quidem comoedorum adulterationes atque interpo-

(1) Dissert. III, VII, VIII, IX.

(2) De Prologis Plautinis et Terentianis. Bonn., 1864. — Cf. OSANN., *Analecta critica*, pag. 150, 442, 444.

(3) Huc nimirum spectant Horatii versus 174 et seq. in epistola prima libri secundi, in quibus poëtas carpit, quod lucri tantum et mercedis causa comoedias suas scriberent: *Gestit enim* (poëta) *nummum in loculos demittere, post hoc - Securus, cadat an recto stet fabula talo.*

lationes apertissime testantur Plautinarum fabularum prologi, ubi de rebus interdum sermo est, quae longe post Plauti obitum evenerunt (1). Ecquis vero tibi assentiatur, contendenti, hunc Mercatoris prologum a Sarsinatis nostri aetate, vel longo intervallo distantem, genitivum illum Accii recipere non potuisse? Ecquis certam huiusce interpolationis aetatem audeat definire? Equidem cum Sverdioeo arbitror, Osannum (2) rem acu tetigisse, quum suspicatus est, hunc prologi versum fuisse aliena manu superinductum; siquidem neque cum superioribus versibus, neque cum insequentibus, apto sententiarum nexu, continetur. Ceterum, neminem, credo, aut perpaucos sane tibi adeo morigeros invenies, quibus facile persuadeas, ex variis hisce codicum lectionibus *(Mactici, Mattici* vel *Marticì)* sponte fluere emendationem tuam *(Macci Titi)*, qua pristinam vexatissimo versui faciem te instaurasse existimasti. Ita nimirum natura est comparatum, ut quemadmodum nullo negotio homini fidem adiungimus, a quo relatum audiamus quod magnopere expetimus; ita ex scriptionibus, librariorum

(1) Sit exemplo prologus *Casinae*, quem patet a Plauti ingenio non esse profectum.

(2) Op. cit., pag. 172.

inscitia corruptis, tinea exesis, vetustate pene oblitteratis, coniectando facile illa extundamus, quae in animo nostro iam penitus insederunt, quaeque illinc abesse doleret.

Quod quidem Ritschelio nostro contigit, qui omni mente in ea cogitatione curaque versatur, ut *Titum Maccium* suum odoretur et pervestiget non modo in allato Mercatoris versu, sed in loco etiam A. Gellii, ubi neque optimae editiones, neque corruptissimae codicum lectiones eam litterarum similitudinem exhibent, ex qua exoptatus ille *Titus Maccius* tandem excitetur. Et revera quaenam *Maccio Tito* est similitudo cum *M. Aquilio*, *M. Acutico*, *M. Acuitio* et *M. Hatrutico?* Ritscheliano commento videtur prima fronte suffragari lectio Codicis Regii et Rottendorfiani, ubi scriptum est *M. Accii Titi*. Sed qui vetustiorum codicum lectioni assueverit, statim perspiciet, facillime factum fuisse, ut, qua tempestate littera *c* locum obtineret litterae *q*, Romanis adhuc ignotae, vox *Aquilii* abiret in corruptas pariter voces *Accii Titi*, vel *Acutici* vel *Acuitii*. Neque ad abolendam vocem *Aquilii* satis erit notare, inauditum esse apud Romanos *Aquilium*, comoediarum scriptorem. Quot enim veterum poëtarum non modo opera, sed nomina quoque, temporis iniuria aut plane interciderunt, aut

semel iterumque a grammaticis tantummodo memorantur? Huc accedit, quod Ritschelianam emendationem tum in prologo *Mercatoris* tum vero in Gelliano loco minus probabilem facit praeposterus verborum ordo, quo praenomen *Titi* nomini *Maccii* postponitur. Quamquam enim non desunt apud Latinos perturbati huiusce ordinis exempla; adeo tamen infrequens illorum est usus, praesertim apud solutae orationis scriptores, ut inde nihil ferme ponderis accedat Ritschelianae coniecturae. Quae quidem coniectura magis magisque a veritate recedere videbitur consideranti, praenomina a Romanis ferme fuisse conscripta per litteras singularias, non per consequentias litterarum.

Venio nunc ad argumentum omnium gravissimum, quo praesertim nititur Ritschelius, quodque videtur causam ei dedisse acerrimi ingenii sui vexandi, ut Varronis, Festi, Frontonis, Plinii, aliorumque locos ad sententiam suam, coniectando, detorqueret. Venio videlicet ad palimpsestum Ambrosianae bibliothecae, cuius considerandi gratia abhinc aliquot dies Mediolanum sum profectus. Ut primum hunc palimpsestum diligenter evolvi, mutilum, hiantem, miris modis deformatum, cuius plurima folia, iniuria temporis perforata, decolorata,

vix ullum ostendunt vetustioris scripturae vestigium, equidem sum miratus, quod Ritschelius huiusmodi reliquiis tantum tribuerit, ut in Plautina sua editione, saepe ne latum quidem unguem ab iis recederet. Profiteor tamen, in pagina trecentesima, secunda et septuagesima, evanidas quasdam litteras oculorum aciem exacuenti satis apparere, ex quibus haec verba eruuntur: T Macci Plauti Casina explicit. Hoc unum notabo, dubitari posse, utrum littera T, quae praecedit nomen Macci, puncto sit distincta, necne; teste etiam Antonio Ceriano, IIII viro Ambrosianae bibliothecae moderandae, cuius doctrinae atque humanitati plurimum debeo. In reliquis palimpsesti locis, ubi Ritschelius testatur, se legisse haec tria nomina T. Macci Plauti, litterae vetustate sic evanuerunt, ut nullo prorsus pacto sincerum inde nomen liceat exsculpere. Sed demus quidem Ritschelio, Plautina haec nomina iterum ac tertio scripta fuisse in membranis Mediolanensibus. Anne hinc manat, Ritschelii sententiae esse acquiescendum, qui hoc uno nititur testimonio? Anne dicendum, unum hoc exemplar tantum auctoritatis habere, ut fides omnino sit detrectanda et palimpsesto S. Pauli Carinthiano, et Plautinis editionibus, quae ad hanc diem prodierunt,

quaeque Plautum *Marci* praenomine et *Accii* nomine donarunt? Anne dicendum, toto coelo errasse doctissimos viros, qui usque ad nostram aetatem in Varrone, in Festo, in Frontone, aliisque vetustioribus scriptoribus concordes legerunt Marcus Accius, non Maccius? Quid, si librarius palimpsesti Ambrosiani, vel inscitia, vel negligentia, uti fit, hanc litteram T invexerit, quae in nullo alio ex codicibus Plautinis occurrit? Ergone *unius*, et *rudis* fortasse aut *oscitantis librarii* mendum pro germana lectione accipiemus?

Ceterum, ut quae hactenus dicta sunt, unum sub adspectum redigantur, iam illud primum patet, Ritschelii omnia argumenta huc demum recidere, ut ostendat, locos omnes Varronis, Festi, Frontonis aliorumque scriptorum, quos supra expendimus, aut fuisse adulteratos, aut ubi exstat M. Accius, legendum esse Maccius non Marcus Accius. Deinde constat, praenomen Titus nulla alia niti auctoritate, quam evanidis quibusdam litteris palimpsesti Mediolanensis, quem insigniter deformatum diximus. Quapropter ne, rem ad vivum resecando, forte videar pertinacius in mea sententia perstare, concludo, in tam alto codicum silentio, nihil plane certi hac de re posse in medium proferri. Quum autem

tum vetus Plauti appellatio, tum nova a Ritschelio nuper inducta, coniectura pariter fulciantur, ars critica praecipit, ut illam potissimum amplectamur, quam ad hoc tempus constantissime tenuerunt omnes Plautinae editiones, quae ubique in publicum prodierunt; eo vel maxime quod gentile nomen Accius fuit apud Romanos usitatum ac tritum; quum e contrario rarioris omnino usus fuerit nomen Maccius.

Quandoquidem vero studium veritatis me impulit, ut fusius agerem de Ritscheliano commento repudiando, patiamini, quaeso, collegae clarissimi, me, arrepta occasione, Italos monere, ut etiam atque etiam caveant a libidine illa, quae Germanos praesertim recentiores, veluti tabes, invasit, complura novandi in illis, quae pertinent ad archaeologiam, ad philologiam atque historiam. Non negaverim profecto, maiores nostros in multis errasse; artis criticae facem, vetustioribus libris admotam, plurimos passim errores dispulisse; nonnullos scriptores sedulo fuisse emendatos a viris doctissimis, qui vera a falsis, nativa ab insititiis discernerent. At non sum equidem nescius, subitariam quorundam recentiorum industriam multa perperam in vetustis quibusdam operibus immutasse, quae ita commacularunt (utar hic verbis clarissimi ma-

gistri mei Caroli Boucheroni (1), ut interdum subeat dubitare, an aliquid usquequaque sincerum occurrat. Quare dum Aristophanem Byzantinum et Aristarchum apud antiquos laudamus, qui corrupta Graecorum volumina scite emendarunt; dum post renatas litteras merito honore et grato animo prosequimur Guarinum Veronensem, Georgium Merulam nostrum, Scaligerum, Casaubonum, Heinsios, Burmannum, Drakenborchium, Wyttembachium aliosque recentiores, qui operam suam in veterum emendationem studiose contulerunt, quique multa sapienter in iis declarando, bonarum artium sospitatores iure feruntur; acerrime nonnullorum contentionem improbamus, qui non tam inquirendae veritatis gratia, quam gloriolae captandae studio, rebus novis inventis, multa ad arbitrium penitus finxerunt. Ad Sarsinatem vero poëtam quod attinet, ut eo revertatur unde huc declinavit oratio, si iuxta mecum sentire velitis, collegae humanissimi, non Titum Maccium Plautum, quod nomen Ritschelio viro cl. adrisit, sed Marcum Accium Plautum pergetis appellare.

(1) De Thoma Valperga Calusio. Aug. Taurinorum, an. M. DCCC. XXXVIII, in-8°, pag. CLXXXVIII et seq.

OBIVRGATORIA

RITSCHELII LVCVBRATIVNCVLA

IN

THOMAM VALLAVRIVM

OBIVRGATORIA

RITSCHELII LVCVBRATIVNCVLA

IN THOMAM VALLAVRIVM

En tibi, Lector, italice reddita quae humanissimus Fridericus Ritschelius, ut *Animadversionibus* meis occurreret *de Plauti poëtae nominibus*, germanice scripsit a pag. XV ad XX operis sui, quod inscribitur: *Opuscula Philologica*, Vol. II. Lipsiae MDCCCLXVIII.

« *In Germania, grazie a Dio, pressochè dappertutto trionfa l'autorità dei documenti scritti da mano umana, e non*

s'invoca più quella delle edizioni stampate. Non così nei paesi a noi vicini. Bisogna vedere coi nostri occhi i testi di quattro Comedie Plautine — Aulularia — Miles gloriosus — Trinumus (sic) (1) — Menaechmi, *che il signor Professore Tommaso Vallauri pubblicava in Torino* 1853-54-55-59 *(la prima e terza perfino in seconda edizione nel* 1865) *per convincersi in qual grado le parole del titolo* ad recentiores editiones exactae *contengano la più orribile verità. Senza l'autopsia delle predette Comedie, anche una ben viva fantasia non potrebbe immaginare tal cosa incredibile* (2). *Senza dubbio il signor Vallauri avrebbe molto sapientemente operato, se alla Germania avesse lasciato ignorare questi* documenta eruditionis, *che erano ignoti fino al* 1867 (3). *Ma per le sue* Animadversiones in dissertationem Fr. Ritschelii de Plauti poëtae nominibus, *spedite anche agli Iperborei, trasse* VIOLENTEMENTE *i nostri occhi sui suoi lavori. Quando egli in*

questa Lezione accademica, in cui celebra il suo ingresso nell'Accademia Torinese, adorna di nomi gloriosi, fa la parte del risuscitatore di M. Accius Plautus, *morto e sepolto da molto tempo, e senza che, galvanizzandolo, riesca a produrre alcune convulsioni nel cadavere putrefatto, per parte mia poco avrei a dire. E tanto meno, in quanto che è stata data ampia e conveniente risposta da Martino Hertz nel suo* Dissertationis de Plauti nominibus Epimetrum *an.* 1867 (4), *accompagnato da un elegante e piccante mazzetto, scelto fra i fiori della Vallauriana* Historia Critica Litterarum Latinarum (5); *risposta, che non lascia il menomo dubbio sull'autorità, che possa avere il Vallauri a far l'interlocutore in simili questioni. E notisi, che gli altri scritti del signor Vallauri (dei quali undici o dodici sono annunziati sulle copertine della edizione delle Comedie), avrebbero senza dubbio offerto altra ricca messe* (6). *Vi hanno delle cose, il trovare le quali è*

piuttosto buona fortuna, che speciale merito, e per vedere le quali, in ultima analisi, non occorre che un paio d'occhi sani; ma il non vedere le quali, se per caso le incontrate, e siete costretto a vederle, fa prova che siamo ciechi o dotati di sensi ottusi. E di questo genere è il fatto, che il nostro poeta (Plauto) si chiami Titus Maccius *e non* Marcus Accius. *Il signor Vallauri ciò non vede. Perchè? Perchè le edizioni stampate dal 16° secolo (non già quelle del 15°) al 19° ostinatamente lo hanno chiamato* M. Accio (7). *Gli si dice: ma in Milano trovasi un Codice MS., che ha un migliaio d'anni di più, in cui chiaramente sta scritto* T. Macci Plauti. *Egli se ne va a Milano, trova, che chiaramente sta scritto così, ma che nel medesimo tempo molti altri luoghi di questo palimpsesto sono così sbiaditi e poco chiari, ed in genere tutto il Codice talmente rovinato, da non si potere abbastanza maravigliare, come alcuno voglia dar peso alla sua testimonianza* (8).

Non occorre altro. Non si può rispondere altro, se non che si ha a fare con un VERO FANCIULLO, *grande sì, e che ha fatto stampare questi e quei libri, ma un* FANCIULLO, CHE PURE NON HA IMPARATO NULLA (9), *un* FANCIULLO, *riguardo al quale rimane dubbio, se più meriti* COMPASSIONE *o* SCHERNO, *o* QUALCHE ALTRA COSA (10); *un* FANCIULLO, CHE NON DÀ SPERANZA CHE POSSA IMPARARE (11); *sapendosi bene quale sia la potenza, contro la quale anche gli Dei lottano invano:*

Anche un Dio coll'insania invan combatte.

SCHILLER, *La Pulzella d'Orleans*, Att. III, sc. 6.

Ma tutto questo sarebbe da sopportarsi, e potrebbe essere coperto di generoso silenzio. Se non che questo GRANDE FANCIULLO, CHE NULLA HA IMPARATO, HA L'ARROGANZA DI VOLER PARLARE FRA UOMINI, *erigendosi ad apostolo ammonitore internazionale; facendo sentire egli italianissimo, e perciò con poco proposito, ai suoi compaesani l'ammonizione,* « ut

etiam atque etiam caveant a libidine illa, quae Germanos, praesertim recentiores, veluti tabes invasit, complura novandi in illis, quae pertinent ad archaeologiam, ad philologiam atque historiam. » *Il che è maggiormente svolto con altre conclusioni,* CHE NULLA DICONO, *per terminare come in un fulmine, colla proposizione sdegnosa:* « acerrime nonnullorum contentionem improbamus, qui non tam inquirendae veritatis gratia, quam gloriolae captandae studio, rebus novis inventis, multa ad arbitrium penitus finxerunt. » *E perchè non rimanga alcun dubbio a quale indirizzo vadano queste parole, ad esse immediatamente tien dietro l'applicazione al ben amato* M. Accio Plauto.

Fatta astrazione dall'indegnità morale, che sta nel volere destar sospetti, i quali tanto offendono l'onore (12), *e che solo dimostra di che sarebbe capace l'autore,*

se egli stesso potesse trovare res novas, *quale artiglieria pesante è adoperata nella eloquenza accademica del signor Vallauri? Se mai ha sentito qualche cosa di quel* didicisse fideliter artes *e gliene rimane una reliquia, quanta vergogna dee sentire per un paragone coll'amabile cortesia e graziosa modestia, con cui i suoi vicini di razza latina sanno esprimere i loro sentimenti di nazionalità, anche nella scienza* (13)*! . . .* . . . . *Ma per tornare ancora una volta sul signor Vallauri,* CHI VORRÀ DURARE LA DAVVERO INGRATA FATICA DI LEGGERE I SUOI SCRITTI, *troverà, che nessuna delle parole, da noi dette contro di lui, è troppo dura. Ognuna di esse è ben meritata dalla sua* STOLTA PRESUNZIONE (14). *Siagli però concesso questo balsamo, che pur dianzi in Germania ha trovato un compagno di sentimenti e di armi nell'autore della* S t o r i a d e l D r a m m a, J. L. K l e i n *(Geschichte des Drama's, von J. L. Klein, Leipzig, T. O. Weigel,* 1865-67) (15). *Questo libro*

non è scritto pei filologi, e per quelli che hanno un' idea di metodo scientifico. Questi giudicheranno, che tutto quello, che è detto nell'opera del Klein *su Plauto e Terenzio, e specialmente sulla vita e sul* nome del primo, *non è altro, che* UNA SPENSIERATA COMPILAZIONE D'UN DILETTANTE INSIPIDO E MANCANTE DI COGNIZIONI (16), ORNATA DI UNA FRASEOLOGIA SENZA SENSO, E DI UN ARLECCHINISMO SFORZATO, *che pare spiritoso all'autore,* IGNORANTE A SEGNO, *che si fa conoscere incapace di leggere ed intendere una dissertazione latina* (17). *Ma tutto ciò non impedirà già il signor* Vallauri *di salutare allegro nel* Klein *un fratello, credente in* Marco Accio, *e di stringergli in ispirito e con animo grato la mano* (18). »

THOMAE VALLAVRII

ADNOTATIONES

IN OBIVRGATORIAM

FRIDERICI RITSCHELII LVCVBRATIVNCVLAM

THOMAE VALLAVRII

ADNOTATIONES

IN OBIVRGATORIAM

FRIDERICI RITSCHELII LVCVBRATIVNCVLAM

---

(1) Quid mirare, Ritscheli, bone vir? An ignoras, in vetustioribus monumentis scriptum fuisse *numus* et *Trinumus*, haud aliter ac *nummus* et *Trinummus?*

(2) Nimirum in crimen vocatur Vallaurius, quod Bothianam Plauti editionem praesertim secutus, varias lectiones repudiavit, quibus Ritschelius Sarsinatem poëtam non tam emendare, quam ad libidinem fingere videtur.

(3) Longe a Ritscheliana hac sententia recedens Æmilius Egger, doctor decurialis in Parisino Athenaeo, de Plautinis

fabulis a Vallaurio illustratis scripsit: *« Vous êtes du petit nombre de ceux, qui commentent les classiques latins comme ils auraient été commentés au temps de Cicéron. »* Falso autem affirmas, Ritscheli, Vallaurianas Plauti editiones (de quibus iam pridem disseruit Bibliotheca Philologica Gottingensis) Germanis fuisse ignoratas ante annum MDCCCLXVII. Complura harum Comoediarum exemplaria, vixdum edita, bibliopolarum rogatu, et Monachium et Lipsiam sunt missa a Curatoribus regiae officinae librariae Taurinensis. Praeterea in Lexico, Lipsiae evulgato a F. A. Brockaus, cui titulus: Conversations-Lexikon, vita exstat Thomae Vallaurii, in qua, praeter alia ipsius opera, latine atque italice exarata, memorantur editiones Plautinarum fabularum, quas Vallaurius adnotationibus auxit. Quae quum ita sint, Θερσῖτ' ἀκριτόμυθε... ἴσχεο!

(4) Martinus Hertzius, professor antiquarum litterarum in Academia Vratislaviensi, scriptiunculam evulgavit cum hoc titulo: *Index lectionum in Universitate Litterarum Vratislaviensi per hiemem an.* MDCCCLXVII *a die* XV *mensis octobris habendarum. Praemittitur Dissertationis M. Hertzii de Plauti poëtae nominibus Epimetrum.* Typis offic. Universit. (W. Friedrich) in-8°, pag. 16. — Tota haec Hertzii

dissertatio, multis sane verborum contumeliis foedata, declamatoriis cavillationibus involuta, barbarico et tortuoso quodam scribendi genere obcaecata, huc redit denique ut contendat, unum Ambrosiani Codicis testimonium tanti momenti et ponderis esse, ut prudentissimus quisque Ritscheliano commento debeat assentiri, omnibus argumentis posthabitis, quae in Animadversionibus nostris adversus Titum Maccium attulimus. Quare, ne actum agere videamur, lectores ad Animadversiones modo memoratas delegamus.

(5) Accipe, candide Lector, cupedias, quas Hertzius ex libello meo delibavit, quem inscripsi: Historia Critica Litterarum Latinarum. Accedit πάρεργον aliquot monumentorum latini sermonis vetustioris. Editio septima. Augustae Taurinorum, ex offic. Asceterii Salesiani, in-8°.

I. Hertzius ridet hanc meam sententiam « *Illorum opinio nobis maxime probatur, qui contendunt, Pelasgos, Tyrrhenos, Iberos, aliosque ex Asia in Graeciam pariter atque in Italiam fuisse profectos;* » quin ullum in medium adferat argumentum, quo haec improbanda videantur. Quum huiusmodi sententia, Herodoti, C. Velleii Paterculi, Plinii ma-

ioris, Walchii, Christ. Waltzii, Galvanii, aliorumque auctoritate fulciatur, Hertzianam reprehensionem nihil sane moramur.

II. Me carpit, quod in adnotatione quadam ad Ennium legatur: « *Ennius* dicitur *illius satyrae generis auctor*, *quam Lucilius subinde limatiorem fecit.* » Haec quidem ipse sine ulla affirmatione, sed dubitanter (*dicitur*), uti decuit, scripsi. Quum enim pauca tantum eademque brevissima fragmenta exstent Ennii Satyrarum, nihil iam certi in neutram partem hac de re nobis licet proferre.

III. Crimini mihi dat, quod in quadam adnotatione, Ennio et Naevio aliquot tragoedias tribuerim, quas alii iisdem abiudicant. Quum ex paucis fragmentis, quae supersunt, hoc certo erui non possit, nil mirum, si alii aliter sentiant. Equidem Bothii et Osanni auctoritatem sum secutus.

IV. Me accusat, quod inter nobiles comoediarum scriptores priscae aetatis memoraverim Q. Caecilium Statium, Q. Trabeam, Dossenum, Vettium Titinium. Huiusce rei fides sit penes Horatium in Epistolis, penes Ciceronem in *Bruto*, Quintilianum, A. Gellium, quibus tutius quam Martino huic nostro credendum arbitror.

V. Ex Hertzii sententia, perperam ego Ciceronem in *Bruto* sum secutus in Plauti aetate statuenda ! ! !

VI. Hertzio iudice, de graecis Plauti fontibus ego loquens, non recto ordine Philemonem, Diphilum, Apollodorum, Epicharmum memoravi ! ! !

VII. Nimis modeste, uti Hertzio videtur, scripsi, Livium Andronicum Odysseam Latinam ex Homero videri interpretatum; e contrario

paullo imprudentius contendo, Lucilium XXX Satyrarum Libros versu hexametro condidisse!!!

VIII. Mihi succenset Martinus noster, quod non omnia Fabii Pictoris opera memoraverim, quae temporis iniuria interciderunt; L. autem Cincio Alimento aliqua tribuerim, quae ad ipsum non pertinent. Quod attinet ad nonnulla Q. Fabii Pictoris aliorumque scriptorum opera, quae tempus nobis invidit, aio, de industria a me fuisse praetermissa, ne compendiaria Litterarum Latinarum historia, tironibus proposita, in nimiam molem excresceret. De αὐθεντία vero scriptionum L. Cincii Alimenti ecquis iam audeat certam sententiam ferre?

IX. Hoc de Varronianis Libris *De re rustica* perperam iudicium fero: «Varronis stylus elegantior atque ornatior, quam Catonianus, is ferme est, qui scriptorem deceat aetatis Augusteae.» Quid in hac re improbandum esse sentiat, non addit Hertzius.

X. Prae ceteris Svetonii operibus, vitas laudavi *duodecim Caesarum*. Hoc cur Hertzio non probetur equidem miror.

Omnino decem haec sunt, quae Vratislaviensis professor in Historia mea Critica censuit carpenda, ut confirmaret, *me perperam adversus* Titum Maccium *pugnasse*. Quae quidem criminationes quam verae, quantique momenti demum sint, aequis rerum aestimatoribus iudicandum relinquo.

Ceterum ex universa Hertzii scriptione conficitur, germanum nostrum philologum summa ope niti, ut Italos in universum, tamquam bardos ho-

mines, despiciat; eosque praesertim, qui vetustissimas publiceque receptas opiniones tuentur, tamquam superstitionis et credulitatis, nedum ignorantiae reos criminetur. Quod quidem longe altius spectare, quam professor Vratislaviensis videri vult, quisque facile perspiciet ex verbis insequentibus, quibus dissertationem suam ipse exorditur:

« Saepius in litterarum historia accidit, ut error aliquis per secula propagatus, atque hominum animis infixus, viri unius ingeniosi subtilitate atque acrimonia (*sic*) detegeretur ac tolleretur, tum autem scioli existerent, qui novo lumine spreto, in tenebris permanere mallent, et veterem illum errorem, tamquam sanctum patrimonium quovis pignore tuendum et servandum esse contenderent. Cuius rei luculentissimum documentum nostra aetate theologi quidam dedere, qui, cum tandem Carolus Lachmannus, Richardi Bentleii vestigiis insistens probasset, Lectionem Novi Testamenti vulgatam nullo certo fundamento niti, sed ex mero arbitrio concinnatam esse, eandemque optimis et antiquissimis, quibus tum uti licebat, testibus accitis, methodo atque arte critica adhibita refinxisset, clamarent, sanctissimis his ecclesiae christianae documentis vim inferri, atque ipsius ecclesiae ruinam instare, si Libri Sacri hominis illius protervi libidine corrumperentur. Nunc haec ira fere deferbuit. At in re sane minore, non minus acer inveterati cuiusdam erroris a viro aliquo primario ingeniosissime nuper emendati propugnator ipsis his diebus exstitit in eo populo, qui olim litterarum humanarum facem universo orbi

praetulit, Thomam Vallaurium dico Taurinensem . . . . »

His breviter notatis, aio, te, Martine Hertzi, unum ex veteranis Vratislaviensis Academiae professoribus, omnino decere (antequam calamo manum admoveas, latinas dissertationes scripturus), latini sermonis grammaticae, et vocabulorum et locutionum proprietati impensius studere. Nonnulla enim in hoc *dissertationis* tuae *Epimetro* tibi passim exciderunt, penitus improbanda. Huiusmodi sunt, ut de ceteris sileam:

Pag. 3ª. « *Quum (Vallaurius) regiae scientiarum Societatis Taurinensis sodalibus humanissimis, aliquot mensibus abhinc cooptatus atque* IDENTIDEM *a poëtae sarsinatis municipibus civitate donatus esset* » etc. — Quorsum tandem, Hertzi mi, adverbium identidem heic posuisti, quod a tua sententia prorsus abhorret? Tu, opinor, quadam vocis similitudine captus existimasti, haec duo adverbia (identidem — itidem) unum atque idem valere, ac posse a te promiscue usurpari. Pol profecto te longe fefellisti, vir doctissime! Corrige sis: atque itidem.

Ibidem. « *Post* COMOEDIARUM *aliquot* PLAUTINARUM, *ad recentiores editiones* EXACTARUM, *animadversionibus* AUCTARUM *et scholasticis praelectionibus* ACCOMMODATARUM *editionem.* » Tam absonum verborum ambitum Italorum aures fastidiose repudiant. Quanto numerosius! Post evulgatas Comoedias aliquot Plautinas, quas ad recentiores editiones exegit, animadversionibus auxit, et scholasticis praelectionibus accommodavit.

Pag. 3 et seq. « *Commentatio* EXPRESSA. Italice:

Dissertazione stampata.» Oh Hertzii latinitatem non germanàm sed germanicam! Ehodum scribe, Martine, si sapis: Commentatio, arte guttembergia, in vulgus edita.

Pag. 6. « *Cum Ritschelio . . . honores ante quinque* TUM *lustra in eum collatos gratularer an. huius seculi LIV.* » Quam inepte in hoc loco posita sit particula tum, elegantissimus quisque facile sentit. Nos Itali indocti, expuncta particula *tum*, scribimus: Quum anno huius seculi quarto et quinquagesimo, Ritschelio honores gratularer, quos ante annos quinque et viginti erat consecutus. Recte an secus, aliorum iudicium esto.

Ibidem. « UTRUMQUE HOC *non ad* EOS *tantum* VESTRUM *pertinet, qui* » etc. Nimium eleganter, Hertzi mi! Nos: utraque res non ad eos tantum pertinet ex vobis, qui, etc.

Pag. 10. « *Cum vero iidem illi libri* M. ACCII TITI PRAEBEANT, *nemo artis criticae elementa recte edoctus dubitabit, quin* HOC *Maccii Titi cum Ritschelio legendum sit.* » Quidnam hac periodo implicatius et obscurius scribi poterat? Quonam pronomen *hoc* sit referendum, nemo sane intelligit.

Pag. 11. « *Haec Giraldi coniectura . . . in Thysianam, Gronovianam aliasque* ANTE ME *editiones recepta est.* » Quae nam sunt, Hertzi humanissime, editiones ante me?

Pag. 12. « *Ego diutius* IMMORARI *nolo* HUIC SENTENTIAE. » Equidem pervellem, Hertzi eruditissime, locum aliquem in medium adferres, ex optimo latino scriptore petitum, ubi verbum

immoror coniungatur cum casu dativo. Si verbi ἔτυμον spectemus, omnino scribendum: diutius nolo in hac sententia (vel hac sententia) immorari. Nisi forte insana, quae aliquot Germanos cepit, novandi libido eo iam processerit, ut animum induxerint grammaticam latinae linguae rationem, nedum veterum scriptorum nomina immutare.

Pag. 13. « *Contra sententias ab ipso* (*Vallaurio*) RECOCTAS. » Sententiae recoctae sunt sententiae diligenter expensae, excussae. Inepta igitur translatione Vallaurianas sententias recoctas appellas, pro eo quod est repetitas. Recoctas sententias, haud aliter ac recoctam Titi Macci cramben tibi uni habeas, Martine mi. Noli nobiscum communicare. Cibos recoctos Italorum ilia non concoquunt.

Ibidem. « *Ea quae* CARDINEM, *Ritschelianae ratiocinationis* EFFICIUNT. » Plane ἀκόμψως, Hertzi mi! Quanto satius! Ea, quibus cardo vertitur Ritschelianae ratiocinationis, vel ea, quibus tota nititur Ritscheliana ratiocinatio.

Pag. 15. « *Qui de* ORCINO *aliquo* SOLIO *oracula sua proferunt.* » Hariolare, Hertzi mi! Quodnam, quaeso, est orcinum istud solium, quod nusquam apud Latinos me legere memini?

Sed finis rerum notandarum iam sit. Qui haec scribat, quae in tuae dissertationis Epimetro leguntur, Martine Hertzi, hunc nos hominem plane ἄμουσον dicimus; etiamsi in celebri aliqua academia romanas antiquitates tradat, atque illepida verborum asperitate, gravique supercilio in adversarios suos superbe invehatur.

(6) Ecquis graphicum te mortalem non dixerit, Ritscheli, qui de alienis scriptionibus iudicas, quin eas oculis usurparis?

(7) Plautinae editiones, quae prodiere seculo quintodecimo, nec M. Accium nec T. Maccium memorant, sed uno gaudent Plauti cognomine.

(8) Animadvertas hic licet, candide lector, Ritschelii animum, subdolum verbis nostris detorquendis et carpendis. Vide in hanc rem Animadversiones nostras (pag. 117-119) a verbis: Venio nunc ad argumentum omnium gravissimum etc.; ad verba: Ergone unius, et rudis fortasse aut oscitantis librarii mendum pro germana lectione accipiemus?

(9) 'Ρόδα μ' εἴρηκας, Ritscheli amoenissime!

(10) Cur, missis ambagibus, aperte non dixisti, vir humanissime, puerum hunc, iam grandem, VERBERIBUS male esse mulcandum? Haec nimirum firmissima sunt argumenta, quae Germaniam redolent, et quibus tantummodo Titum Maccium tuum tibi licebit ab oblivione hominum vindicare.

(11) Ad rem L. A. Seneca (*De ira*, III, 26): Quare fers AEGRI rabiem, et PHRENETICI

verba?... Nempe quia videntur nescire quid faciant.

(12) Quo spectent haec verba tua, Ritscheli, ad excogitandum acutissime, prorsus non intelligo. Nubes et inania captas!

(13) Haec verba pertinent ad AEmilium Benoist, professorem in Massiliensi lyceo, qui unus omnium Gallorum,

Quot sunt, quotque fuere .....

Ritschelianum commentum de Tito Maccio Plauto est secutus.

(14) Repetitae ad fastidium Ritschelianae contumeliae illud Molierii in mentem revocant:

Et ses coups contre moi redoublés en ces lieux
Montrent, qu'il ne se croit jamais victorieux.
MOLIÈRE, *Les Femmes Savantes*, Act. III, Sc. 5.

(15) Ecquid, Ritscheli, Kleinio, viro doctissimo, Geppertum comitem non addidisti, qui fabulam tuam de Tito Maccio funditus evertit?

(16) Quid mirum? Kleinius commentum tuum de Tito Maccio repudiavit. Ergo indoctus est scriptor et nullius momenti ac ponderis. *Ça va sans dire. Nul n'aura d'esprit, hors nous et nos amis.*

(17) Hic ridens, credo, doctissimus Klei-

nius exclamabit: Lapides loqueris, Ritscheli mi! Nec fallor. Ridens sane, uti decuit, et Plautinis salibus Ritschelianas contumelias nuperrime refutavit Kleinius in praefatione voluminis sexti Historiae dramatis; ubi dialogus legitur partim germanice, partim latine atque italice scriptus, in quo colloquentis partes etiam Vallaurio sunt datae. Ibi Kleinius concludit, gloriosum et arrogantem Ritschelium verberibus esse caedendum. Quo facto, eundem inducit magnitudine dolorum eiulantem et lamentantem:

« RITSCHL: Oi, oi! Ototo, Totoi!
« Ah, hei, sum satis verberatus, obsecro. »

Vide sis: *Geschichte des drama's von* J. L. Klein, vol. VI, *Des italianische Drama.* Leipzig, T. O. Weigel, 1868; a pag. vII ad xxx.

(18) Haud scio, an aliquis, vel apud Germanos (si Mommsenium et Hertzium excipias) reperiatur, cui haec probentur Thrasonis nostri convicia; quando pacata et gravi disputatione lis fuisset dirimenda *de Plauti poëtae nominibus.* Equidem contumelias contumeliis non rependam, memor Tullianae illius sententiae (*De offic.*, I, 38): « Rectum est... etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus,

tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere. » Hoc unum, te, humanissime Ritscheli, admonitum volo, quod ibidem apud Tullium legitur: « Deforme est de se ipso praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari Militem gloriosum. » Et cum magna sane legentium irrisione haec tua excipientur ἁμαρτήματα, quae carptim, et quasi aliud agens, ex operibus tuis excerpsi, quaeque insequenti Appendicula continentur.

APPENDICVLA ALIQVOT LOCORVM

IN QVIBVS

FR. RITSCHELIVS

IN LATINITATEM INSIGNITER PECCAVIT

APPENDICVLA

ALIQVOT LOCORVM

IN QVIBVS

FRID. RITSCHELIVS

IN LATINITATEM INSIGNITER PECCAVIT

Puer ille grandis, quem nosti, Ritscheli, sine ulla bona arte, sine ingenio, sine humanitate, sine litteris, hoc latinitatis tuae specimen acerrimi iudicii viris proponit, ut pateat apertissime, quantus vir sis, et quam vere temet, uti fando audivi, latinorum scriptorum principem praedicare non dubites.

Ex Ritschelii libro, cui titulus: Parergon Plautinorum Terentianorumque Vol. I.

Pag. 60. «... *post autem* (Plautum) *in urbem reversum, pristina studia* ALIQUANTUM IN-

TERMISSA, *recoluisse.* » Qui plane hospes in latinis litteris non sit, apprime novit quid differat inter aliquantum et aliquantisper. Pax: nihil amplius, Ritscheli. Scribe sis: aliquantisper intermissa.

Pag. 401 et seq. « *Huiusmodi epistola cum* IMPRESSO PLAUTO NULLI *praemittatur.* » Prorsus indocte, Ritscheli, et barbarorum more! Latini autem: Huiusmodi epistola quum nulli Plautinae editioni praemittatur.

Pag. 525. « *Prorsus inutiliter* INFERTA *vocula.* » Quonam iure, Ritscheli, novum et inauditum Latinis vocabulum procudisti? Vel ipsi pueruli apud Italos norunt, sicubi occurrat in romanis scriptoribus haec vox inferta, librariorum inscitiae aut negligentiae tribuendam, qui perperam pro inserta usurparunt.

Pag. 576. « *Mihi libri usum* CONSOLITA *liberalitas eius viri concessit.* » Undenam gentium, quaeso, Ritscheli doctissime, barbaricam hanc vocem extudisti, quae hic et passim in scriptionibus tuis occurrit? Nos, pueri grandes, scribimus: consueta liberalitas.

Ibidem et alibi passim. « *Ut* NONNISI *has, quas infra posuimus, litteras extricare potuerimus.* » Nusquam apud optimae notae scripto-

res latinos leguntur coniunctae hae duae particulae. Omnino seiungendae aliquo interiecto vocabulo. Ex. grat.: u t n i s i h a s, q u a s i n f r a p o s u i m u s l i t t e r a s e x t r i c a r e n o n p o t u e r i m u s. Contraria exempla solum suppeditant deterioris aevi scriptores. Tu es, Ritscheli, magister in Israël, et haec ignoras?

Ex Ritscheliano libro, qui inscribitur: *Prolegomena de rationibus criticis, grammaticis*, etc.

Pag. xxx, et alibi passim. « UNDECIM ABHINC ANNOS EMPTUS. » Ah! inficetam verborum collocationem! Elegantissimus quisque Romanorum scribit: A b h i n c a n n o s u n d e c i m.

Pag. XL. « *Tamen* FIDES NEC ESSE ADDUBITANDA *videtur*. » Vae tibi, Ritscheli, si plagosus aliquis Orbilius haec legat, quae a latini sermonis ingenio prorsus abhorrent! Scribe, si ferulam vitare cupias: T a m e n f i d e s n e q u e i n d u b i u m r e v o c a n d a e s s e v i d e t u r.

Pag. CCXLIX. « ELABENS *mentis* ACUMINI. » Cave sis, Ritscheli! En tibi imminentem Orbilium! Scribe dum: E l a b e n s m e n t i s a c u m e n, vel e x m e n t i s a c u m i n e.

Ex Prooemio Ritscheliano, *Mercatori* praeposito.

Pag. VII. « *Contra, cum desit nihil,* ALIQUAM *multa redundant, aliquid tamen repugnat reliquae argumenti dispositioni.* » Heic Œdipo opus est coniectore, qui sphingi interpres fuit. Nemo enim alius, opinor, probabilem hinc sensum exsculpat.

Ibidem. « . . . . . *Critico officium imponunt* ALTERARUM *partium* OPTANDARUM *atque* PROBANDARUM, DAMNANDARUM *confidenterque* EXPELLENDARUM ALTERARUM. » Oh teretes et superbissimas Germanorum auriculas! Oh aptam et numerosam suavissimi Ritschelii mei orationem! Nostrates quidam, festivissimi homines, hisce verbis perlectis, exclamabunt: Ve', ve' un periodo da FISCHIETTO! Ecco un periodo, degno di Frà Galdino!

Ex Prooemio Ritscheliano, *Mostellariae* praeposito.

Pag. XI. « *Eam* (fabulam) *mirum esse non potest, etiam minores* . . . TRANSPOSITIONES EXPERTAM ESSE. » Fabulam transpositiones expertam esse, pro eo quod est transpositionibus esse deformatam, scribat germanus homo, non ego.

Pag. XVI. « *Testimoniis* PERMEMORABILIBUS. » Ecquid causae erat, Ritscheli, cur inusitatum ex penu tuo vocabulum depromeres? Cur Tullium et Livium secutus, non scripsisti: Maxime memorabilibus? Tan-

tane Titi Maccii fabricatori arrogantia, ut arbitretur sibi licere latinas voces ad libidinem procudere?

Ex Ritscheliana opella: *De fictilibus litteratis* Quaestiones grammaticae.

Pag. 3. « *Qui (Saturnum) procreatorem* CONIECTANTUR. » Perridiculum hercle, Ritscheli, in eo libello, cui titulum fecisti: Quaestiones grammaticae, te in re grammatica insigniter claudicare!

Pag. 29. « *Id vasculum e Durandi collectione transisse (Parisios) in* THESAURUM NUMMARIUM *(cabinet des médailles).* » Hoc factum est optime, Ritscheli, quod latino titulo gallicum subiunxeris. Ecquis enim unquam suspicatus esset, in thesauro tuo nummario latere *le cabinet des médailles?* Lexicon Morcellianum te docebit, non thesauri sed musei nomine donanda esse loca, in quibus, studiorum causa, adservantur litterati lapides, vasa, nomismata, aliaque id genus vetustissima monumenta. E contrario thesaurum nummarium recte dixeris quod est Gallis *la Trésorerie.*

Ex opere Ritschelii: *Opuscula Philologica,* Vol. II.

Pag. 384. « *Felem captantes, vel* CANICULUM *apprehensuri.* » Pluries equidem legi apud scriptores latinos caniculam. Canicu-

lus vero ex nullo alio fonte manare potuit, nisi ex eo, unde profluxit misellus ille Titus Maccius.

Pag. 414. « *Non dicam contra eos, qui quovis et loco et modo admissum hiatum* CONCOCUNT, CONCOCTISQUE BONOS VERSUS CONCACANT. » Vah! apage iocum in re foedissima positum! Voilà un bon mot allemand, dicerent Galli, fi donc. Iuvat autem animadvertere, candide lector, turpia haec a Plautinissimo Ritschelio fuisse prolata, quum sollemniter prooemiaretur in frequenti professorum conventu Academiae Bonnensis, an. MDCCCXLI. Utrum Ritschelianae huiusmodi argutiae audientium risum an stomachum moverint, prorsus ignoro. Apud Italos profecto et apud Gallos, vel a plebeia quavis corona fuissent exsibilatae. Sed haec de CONCACATIS VERSIBUS hactenus. In Ritscheliano coeno satis iam, satis nos volutavimus!

CONCLVSIO

Ex dictis tibi perspicuum arbitror, Ritscheli, te, qua es ingenii praestantia, ad optimi scriptoris laudem aliquando fortasse emersurum, si in romanis operibus

evolvendis non auceps tantummodo syllabarum et variarum lectionum, non everriculum sordium, sed acerrimus latini candoris spectator esse volueris. Mihi autem ipse gratulabor, si, per occasionem Titi Macci, delicii tui (cui, quando fortuna non dedit ut vitalis nasceretur, aeternam pacem cum lacrimis adprecor), id tandem me esse assecutum sensero, ut tibi atque Hertzio tuo suaderem, pulcri sensum in Italorum animis nondum penitus exaruisse; atque, in latinis praesertim litteris, licere ITALIS PUERIS vel cum PROVECTIS AETATE GERMANIS in doctrinae contentionem venire.

Titulus sepulcro Titi Maccii,
si libeat, insculpendus
Lipsiae in hortis Ritschelianis

H . S . E .

TITVS · MACCIVS

QVEM . FRIDERICVS . RITSCHELIVS . GENVIT

ACERBA . MORS

VIX . TERRIS . OSTENSVM . RAPVIT

AN . M . DCCC . XLII .

S . T . T . L .

INDEX

M. A. Plauti Trinummus, Aulularia, Miles Gloriosus, Menaechmi. Th. Vallaurius animadversionibus auxit.

Ausonii Popmae Frisii de differentiis verborum cum additamentis F. Hek. A. D. Richt. et Th. Vallaurii. *Editio altera.* Aug. Taur. ex off. ead. . . . . . . » 3 00

Storia della Poesia in Piemonte. Torino, Chirio e Mina, 1841. Vol. 2, in-8°, di pag. XIV, 519-503 . . . . » 12 50

Delle Società Letterarie del Piemonte. Libri II. Torino, Favale, 1844, in-8°, di pag. 322 . . . . » 5 00

Storia delle Università degli Studi del Piemonte. Torino, Stamperia Reale, 1845-46. Vol. 3, in-8°, di pag. XV, 382-296-352 » 18 50

Fasti della Real Casa di Savoia e della Monarchia. Torino, Stamperia Sociale, 1845-46, in-8°, con 40 incisioni.

Il cavaliere G. B. Marino in Piemonte. Episodio della Storia Subalpina del secolo XVII. Seconda edizione riveduta dall'autore. Firenze, tip. all'insegna di S. Antonino, 1865, in-16° di pag. 272 . . » 1 00

Novelle di Tommaso Vallauri. Quarta edizione accresciuta e riveduta dall'autore. Torino, Stamp. dell'Oratorio di S. Francesco di Sales, 1868, di pag. 297 . . » 0 60

Col ritratto dell'autore 0 75

Il Castello della Chiusa, Novella di T. Vallauri. Torino, Stamp. dell'Orat. Salesiano, 1868, di pag. 57 . . . . » 0 25

Si vende in Torino dalla STAMPERIA DELL' ORATORIO DI S. FRANCESCO DI SALES AL PREZZO DI LIRE 2; e mediante vaglia postale al DIRETTORE della Stamperia predetta, si manda franco per la posta in tutto il regno.